



GAVRICVS - Tractatus Astrologicus









LVCAE GAVRICI GEOPHONENSIS EPISCOPI CIVITATENSIS,

TRACTATVS ASTROLOGICVS

In quo agitur de præteritis multorum hominum accidentibus per proprias eorum geni turas ad unguem examinatis.

Quorum exemplis consimilibus vnusquisq; de medio genethlia cus vaticinari poterit de futuris, Quippe qui

Per uarios casus artem experientia fecit,
Exemplo monstrante uiam.

CVM GRATIA ET PRIVILEGIO.



VENETIIS Apud Curtium Troianum Nauò. M D LII.

7.1

INDEX TOTIVS OPERIS.

ALEXANDRI FORTVNATI GEOPHONENSIS PHYSICI ET ASTRONOMI,

Exasthicon extempore æditum.

Quisquis cœlestes exoptat scandere sedes,
Et quid portendant, perlegat istud opus:
In quo fœlices euentus, atq; nefandos
Extemplo poterit discere quippe simul.
Bis sex signorum formas, septemq; planetas
Noscere si potis est, inter ephemeridas.

VT CHRISTVS HVMANI generis seruator singulos Christiani nominis fideles liberet a periculis in hoc libro enarratis, flexo poplite, & humili uoce Deum precetur sic.

Lu. Ga. Episcopi Ciuitatensis Carmina.

O Pater omnipotens resides qui in culmine cœli,
Sanctificent omnes nomen ubique tuum.
Adueniatque tuum regnum, fiatque uoluntas
Vsque tua in terris, non secus atque polo.
Da que hodie panem nostrum, cunctisque diebus
Qui robur foueat corporis, atque animam.
Nominibus nostris sic ut dimittimus & nos,
Dimitte & nobis debita nostra precor.
Ne nos inducas tentemur ab hoste maligno,
Liberet a cunctis sed tua dextra malis.

O Pater Altitonans, cui rerum summa potestas,
Te rogo sis mea lux, præsidiumque salus.

Omne bonum quanto est melius, præstantius atque
Esse decet tanto participabilius.

SYMBOLVM APOSTOLORVM.

Vnum credo Deum cœli, terræq;, marisq; Petrus.
Factorem æternum, cunctipotentis opus.
Nate Dea, tibi Christe Deus quoq; credimus una Andreas.
Cum patre, qui noster unicus es dominus.
Qui conceptus eras ex uerbo numinis almi Iacobus maior.
Natus & ex Maria uirgine perpetua.
Pontius insontem Christum ferus ille Pilatus Ioannes.
Tunc præses pœnas iussit adire graues,
In cruce uerus homo est: nam mortuus, atq; sepultus
In stygias uoluit mox penetrare domos.
Tertia lux aderat, qua mortis uictor acerbæ Thomas.
Christus ab inferna sede receptus abit.
Ascendit superos, cœlestia regna penates, Iacobus minor.
Ad dextramq; patris omnipotentis adest.
Indeq; uenturus iudex uitæq;, necisq;, Philippus.
Cuius nulla dies finiet imperium.
Quiq; ab utroq; simul procedit numine sanctus Bartholomæus.
Spiritus, hunc credo catholicamq; fidem. Matthæus.
Sanctaq; sanctorum q; sit communio, lympha Simon.
Purgariq; sacra crimen, & omne nefas.
Rursus & extinctos in corpore posse reuerti. Thadeus.
Et uitam sanctam ducere cum superis. Mathias.

SALVE REGINA.

Quæ miseros Regina foues, salue optima mater,
Vitaq; dulcedo, spesq; salutis Aue.
Ad te clamamus profugi quos Eua creauit
Prima parens nostri, primaq; causa mali.
Illius ob noxam miseros Phlegetontis ad undas
Damnatos sæuis eripe turbinibus.
Cum gemitu & lachrimis suspiria cordis ab imo
Valle sub hac herebi fundimus atque preces.
Eya ergo patrona hominum conuerte benignos
Ad nos illa oculos (sydera clara) tuos,
Ostende & nobis benedictum uentris Iesum
Post hoc exilium pignora chara tui.
O pia, o clemens, o dulcis Virgo Maria
Te rogo pro nobis sancta precare patrem.
Excelsum mundi autorem, interituq; carentem,
Vt nostris tribuat criminibus ueniam.
Det pacem mala quæque procul, pestemque, famemq;
Pellat, det fruges terra benigna suas.
Atque tuum Gnatum conceptum semine nullo
Ora pro nobis sancta Dei genitrix,
Vt nos ipse suis Christus sine crimine dignos
Pollicitis facias, muneribusq; sacris.
Detque hostes superare malos regnator Olympi
Post cineres nobis det sua regna Deus.

POMPONII GAVRICI DIALO-
GVS DE TEMPORE.


C uius opus? Quondam Lysippi, dic mihi quis tu?
Tempus. Quidnam opere est tibi? Cuncta domo.
C ur tam summa tenes? Propero super omnia uelox.
Cur celeres plantæ? Me leuis aura uehit.
C ur tenuem tua dextra tenet tonsoria falcem?
Omnia nostra secans radit acuta manus.
C ur tibi tam longi pendent a fronte capilli?
Fronte quidem facilis sum bene posse capi.
C ur tibi posterior pars est a uertice calua?
Posterior nemo prendere me poterit.
T alem me finxit quondam Sytionius, hospes,
Et monitorem hoc me uestibulo posuit.
P ulchrum opus artificem laudat, proh Iuppiter, o quam
Debuit hoc pigros sollicitare uiros.

TRACTATVS
PRIMVS
CIVITATVM
ET QVORVNDAM
OPPIDORVM SCHE-
MATA, ET APO-
THELESMATA.

Inceperunt	Sanctorum	Anno
Relligiones	Dominici	1204
	Francisci	1212
Imperium	Othomanorum	1453

BYZANTII SIVE CONSTANTINOPOLIS


Schema cœlicum.



	Anno	
Subtrahe	5200	Mundi
	5838	Byzantij
Post	638	Christum

Istud & sequens Schema cæleste in bibliotheca Vaticana græce scriptum reperi in quodam libro pergameneo. Sequens autem figura cœlestis fuit supputata secundum Porphyrij dogmata, Pomponius frater meus Gauricus latinitate donauit.

Bizantij thema.



Thema cœlicum vrbis Constantinopolitanæ, quæ olim Bizantium vocitabatur a Constantino Imperatore vltimo restaurata veluti in Bibliotheca vaticana reperit frater meus Pomponius Gauricus in libello Græci Astronomi epystographo. Fundamentum igitur Bizantij vtpote Cõstantinopolitanæ vrbis quę noua Roma dicebatur iactum fuit Anno a prima Mundi origine 5838. id est quinquies millesimo trigesimo octauo post Christum 638. die 2. Maij, hora 2. post ortum ☉ quippe ꝙ mane diem Græca gens incipit. Quod thema cœleste erexit sapientissimus ille vir valens Antiochenus, erunt autem (aiebat ille) anni 766. septingenti sexaginta sex circiter.


Supputauit autem Thema istud cœleste vates ille Antiochenus vir vndequaque sapiens, vaticinatusque fuit illius ciuitatis infelicia tempora fore Anno 792. vtpote 1430. die 24. Martij, & nihil falsi prædixit. quoniam illa tempestate Mahometus Bizantij Arces debellauit, & e manibus Christianorum surripuit, quemadmodū in sequenti Themate annotabitur.

Schema cœlicum supputare iuxta Porphyrij dogmata.

Intercapedinem graduum & minutorum signiferi qui interiecti fuerint a culmine cœlorum (non diductis quinque gradibus vti Ptolemæus somniauit,) vsq; ad partes & minuta horoscopi inclusiue, in tres ęquas partes diducito, & quicquid prosiliet inquotiente adijcito gradibus & scrupulis cœli culminantis & prodibunt gradus & minuta vndecimę domus. Dein illud quoque interstitiū adijcito gradibus & scrupulis vndecimæ & prosilient partes & fractiones duodecimę domus, quam cacodemona vocitāt, vltimo partibus in duodecima domo prosilientibus adijcito illud quoq; intersticium & scaturient gradus siue partes horoscopi.

Eodem precise pacto sumito interstitium siue intercapedines qui interiacent ab horoscopi gradibus & scrupulis vsq; ad gradus & minuta quartę domus, illam denique congeriem diuidito in tres æquas portiones, & quicquid prosiliet inquotiēte adijciatur partibus & minutis horoscopi & confestim prodibunt gradus & fractiones secundæ domus, quam Anaphoram vocitant, & illa etiam congeries inquotiente supputatā addatur partibus & minutis secundæ domus & prodibūt gradus & minuta tertię domus, & easdem partes adde partibus & scrupulis tertię, & prodibūt gradus & fractiones quartæ domus. Per Diametrum annotare poteris reliquas sex domos cœlestes. Harum domorū exemplar reperies in præcedenti Schemate Bizantij, siue vrbis Constantinopolitanæ, sed prius necessum erit supputate gradus & minuta cœli culminantis, & horoscopi; Modus iste supputandi duodecim cœlestia templa non displicet L V. Gaurico Episcopo Geophonensi.

Hæc figura fuit ab aliis supputata.



Thema cœlicum labentis anni salutis in quo ille
Mahometus debellauit Byzantium.


Mahometi epitaphium.

Quem dites Indi quemq; & timuere Britanni
Quiq; die medio, quiq; sub axe iacent,
Orbis terror eram Mahometus mortuus vmbras
Terreo forte mei viuit in orbe metus.
Victori fortuna mihi victricia semper
Arma dedit, stygias nunc peto victor aquas.

Turcarum Regis Epitaphium.

Qui vici innumeros populos,tot regna,tot vrbes
Solus & immensi qui timor orbis eram,
Me rapuit quæ cuncta rapit mors improba,sed sum
Virtute excelsa ductus ad astra tamen
Vici victores Danaos,domuiqꝫ feroces
Chaoniæ populos, Sauromatasqꝫ truces.
Pannonius sensit quantum surgebat in armis
Vis mea,quæ Latio cognita nuper erat.
Mens fuerat bellare Rhodon,superare superbam
Italiam.sed non fata dedere modum.
Hei mihi nam rapuit mors aspera,quæqꝫ sub alto
Pectore condideram vertit, & hora breuis.
Sic hominum faustus,sic & eunt stigmata,sicqꝫ
Imperia,atqꝫ aurum quicquid & orbis habet.

Thema Vrbis Romanæ a Romulo fundatæ.



Ante Christum Seruatorem natum labente Anno

Vrbis	752
Mundi	5200
Ab orbe condito	5952
Post orbem condit.	4448


Solinus, & lucius Terentius scripsere Romam fuisse conditam a Romulo XI. calendas Maias, hoc est die 21. Aprilis Ante Christum natũ vertente anno 752. Secunda autem restauratio fuit anno 572. Ante Christum.

Manilius.

Hesperiam sua libra tenet, qua condita Roma
Orbis & imperium retinet discrimina rerum.

Vrbis

Vrbis ſecunda Reſtauratio.




Vertente anno Romuleæ fundationis ab Orbe condito 2280. In ſecunda autem reſtauratione 2099. Virginei denique partus 1527. die ſexta Maij Roma fuit depopulata ab Hiſpanis, Alemanis, & pleriſque Italis militibus. Sedente in Petri ſolio Clemente ſeptimo Pontifice Maximo in Mole Adriani, quam Caſtellum, ſiue Arcem ſancti Angeli vulgo appellant, obſeſſo ſimul cum multis Eccleſiæ Cardinalibus atque Prelatis, qui iam tandem inopia rerum compulſi, nullam prorſus ſpem ſubſidij expectantes coacti fuerunt ſoluere Ductoribus Cæſarei exercitus quadringenta milia ducatorū Auri in Auro, & inſuper aſsignare & conferre ſub Ca-

roli quinti Cæſaris Imperio omnes fere Epiſcopatus in Regno Neapolitano littoribus Maritimis proximiores. Huiuſcemodi malignos cœlorum defluxus denuntiare videbantur horoſcopi directio ad locum Martis, Luna ad Falciferi coitum. Saturnus ad ſui ipſius tetragonam radiationem, & cum Sole partiliter alligatus, & denique Sol cum pleiadibus in die depopulationis nefaſto. In conflictu bellico Romanorum contra milites Cæſareos Dux Barbonus fuit ſcloppo confoſſus extra Vrbis Męnia ſecus portam ſancti Petri, & poſtquam milites Cęſaris introceſſerunt Vrbem, miſcuerunt ſacra profanis, quandoquidem.


Nulla fides, pietaſque viris, qui caſtra ſequuntur.

Restauratio Ecclesiæ sancti Petri ab Iulio II. Pont. Augustiss. instituta.




Stellæ insalubres cum nodo Austrino dispendia intollerabilia denuntiabant, & inferent ad calcem vsque Virginei partus 1571. vel iam tandem ad 1608. vti colligitur ex directione horoscopi ad & Iouem a postremo culminantis cœli ad trigonicam Iouis radiationem.

Vrbis tertia restauratio citra Ecclesiam sancti Petri.



Horam qua iacijendus erat primus lapis infundamento illius edificij circa Ecclesiam sancti Petri, & figuram cœlestem supputauit Lucas Gauricus Geophonensis Episcopus, Vincentius autem Campanatius Bononiensis cum Astrolabio inspexit tempus idoneum, clamitans alta voce. Ecce nunc præcise adest hora decima sexta fere completa ab horologio consueto. Et confestim Ennius Verulanus Cardinalis Albanensis Reuerendiss. stola candida indutus cum Tyara Cardinea in capite coaptauit in fundamento maximum lapidem Marmoreum perbelle expolitum, & cum stegmate Diui Pauli III. Pont. Maximi, Sed Paulo ante pleraque numismata Aurea, Argentea atque Metallica in memoriam fundatoris Pauli tertij ex clarissima Farnesiorum familia Romani Principis, atque Patricii.


Bononiæ restauratio per Theodosium.



Quando Architectores cęperunt telluris effodere sulcos, veluti Ciccus Asculanus arbitrabatur.

Ex Ioue, & Mercurio horoscopantibus elicitur Ciuitatem illam fore semper sub ditione summorum Põtificum, & literarum studijs florentissimã. Sol autem ♂ ☍ sauciatus efficit, & rediget sepius Iuuenes ad hastiludia primos, sed multi nobiles capitis discrimine mulctabuntur.


Bononiæ reſtauratio Theodoſica.



Bononia quaſi bona omnia olim Felſina dicebatur. Fuit a Theodoſio Imperatore reſtaurata, ex Ioue, & Mercurio in horoſcopo, ſemper quodammodo ſub ditione Summorum Pontificum, eritque Mater ſtudiorum. Cæterum Sol Martis diametro ſpherali ſauciatus, obnūtiat quatenus multi nobiles capite mulctabuntur, & Ciues noctu interficientur. Alma Venus horoſcopi Regina ab Saturni diametro defluēs, faciet Iuuenes adoleſcentes admodum libidinoſos, & mulieroſos.

Anni Ciuitatis erunt 790 circiter, vel 238. poſt Annum 1550. vertentem.


Florentiæ Natalis.



Florentia florida ciuitas olim Confluentia dicta per Carolum Magnum cõstructa fuit, Anni eius erunt 453. post Annos 802. vtpote 1255. Ioannes Picus Mirandulanus dum contra Astrologos perperam inuehebatur in hæc verba prorupit. In Epystographis genethliacorum tempus vrbis instauratæ fuit Anno Christi 801. Alterum 802. vnde Syderum cõstellatio penitus diuersa, non considerabat doctissimus ille Philosophus Annum 801. fuisse completum, & 802. vertentem quod idem importat.


Arx

Arx Florentiæ fundata, Iussu Ducis Alexandri Medices Florentini.




Hæc cœlestis figura fuit supputata per Fratrem Iulianum ordinis Carmelitanorum, & fundata Iussu Ducis Alexandri Medices, qui circa mediam noctem in cubili suo fuit iugulatus a suo Consobrino Anno Seruatoris 1537. vertente, vti colligitur ex Sole & Saturno partiliter alligatis. Labentibus 1583. mutabit sceptra. Anno autem 1627. eradicabitur & Solo æquabitur Arx illa infausto sydere fundata.

Venetiarum inclita Ciuitas.




In Riuoalto fuit iactus primus lapis, vbi est Ecclesia, siue Sacellum Diui Iacobi. Quemadmodum ex auspicacissima atque fœlicissima inclitæ Ciuitatis Venetiarum genitura a Patauinis fundata luce clarius elicitur. Sol Apheta in suo trono & cœlorum culmine partiliter supputatus, insinuat quatenus Venetiarum Senatores dominij sceptra ministrabũt ad calcem vsque Virginei partus 1880. Anni vel circiter.

Venetæ Vrbis genitura.




Latitudo Planetarum.

♄	2	57	Sept.
♃	1	3	Mer.
♂	1	37	Sept.
♀	0	11	Mer.
☿	3	12	Mer.
☽	1	20	Sept.




Instauratio Patauij Antiqua



Hæc cœlestis figura fuit ab alijs supputata.


Multi hallucinantur fuisse Scorpionis signum in horoscopo, dicentes fuisse illam Antenoream Ciuitatem ante Vrbem Romuleam annis 465. vergentibus. Lucas Gauricus arbitraretur fore obseruandam vltimam Patauij restaurationem ab Dominis Venetis fundatam.

Ferraria Vetus.




Istud Schema cœlicum supputauit Celius Calcagninus Ferrariensis vir' doctissimus, & Priscianus de Peregrinis, vel potius Ioannes Blanchinus Bononiensis.

Ferrariæ Nouæ Restauratio.



Sub eodem horoscopo venit in lucem Augustissimus Hercules II. Ferrariæ Dux, qui suam Ciuitatem amplificauit, florentissimamq; redegit ab Anno 1535 ad Annum usq; 1551 vertentem. Anni eius erunt 1430. vel circiter.


Mediolani restauratio quæ circunfertur.



Anno salutis 1687. depopulabitur, & sceptra mutabit. vertentibus præterea annis humanati verbi 1554. & 1555. omnia infortuniorum genera experientur Mediolanenses Populi & proceres.


Castrum

Castrum Pisauri.




Castellum illud Pisauri, inexpugnabile factum fuit, & munitũ ab Illustrisſ. & doctiſsimo Ioanne Sfortiade, & post illius interitum iure optimo, sub Dominio Ducis Vrbini, & Filiorum, atque Nepotum. Verum labente anno salutis 1556. Moderator Ciuitatis, vel Arxilla, Martis iram degustabit, vel fient quædam incendia per Ciuitatem, & plerique primates internitionem experientur, nisi prudenter cautum fuerit.

Turris Mirandulæ a Comite Francisco viro doctissimo fundata.



Turris Mirandulæ fundata fuit expensis Comitis Francisci Mirandulæ domini, qui ex Saturno horoscopi domino cum pleiadibus, & Venere domina quartæ domus cum Sole in octaua, fuit interfectus a Nepote filio Comitis Ludouici, qui infinitore Ferrariano iuxta Padum fluuiũ ictu bõbardę in capite sauciatus confestim interijt, quippe qui Venetorum Nauitæ e triremibus iaculabantur tormentales machinas, illas denique naues Alfonsus Dux Ferrariæ debellauit, & prope Ecclesiam Diui Georgij plerosq; annos seruauit, tandẽ eas restituit dominis Venetis. Anno 1551. Oppidum Mirandulæ fuit obsessum a militibus Iulij III. Pont. Max.

Restauratio Mutinæ Ciuitatis per Herculem I I. Ferrariæ Ducem.



TRACTATVS SECVNDVS

SVMMORVM PONTIFICVM, CARDINALIVM, PRAELATORVM SCHEMATA.




PONTIFICES MAXIMI CREATI
IN PONTIFICATV
VIXERVNT.

	Creati	In Pont.vixe. A.	M.	D.
Paulus II. Venetus.	1464	9	4	0
Innocentius Sauonensis.	1483	7	10	28
Alexander VI. Papa Hispanus.	1492	21	0	11
Pius III. Senensis.	1503	0	0	28
Iulius II. Sauonensis.	1503	9	4	0
Leo X. Medices Florentinus.	1513	8	8	20
Adrianus Dortosensis	1522	1	0	4
Clemens VII. Florentinus	1523	10	10	6
Paulus III. Farnesius Romanus.	1534	15	7	14
Iulius III.	1550			


Cardinales sunt Ecclesiæ Cardines.
Episcopus supra eminens, super inspiciens Gregem suum, siue Inspector, Contemplator, & Custos Gregis.
Presbyter senior Ecclesiæ, & superior, & intercessor apud Deum, & tanquam Legatus apud Deum.
Diaconus Minister sacrorum.

Paulus II. Venetus Pont. Max.



Quoniam horoſcopus Venetæ Vrbis erat in cacodemone ſui Natalitij ſe contulit ad Romuleam Vrbem, in qua non longo temporis interſtitio ob ſui ſagacis ingenij dexteritatem, & ex Ioue in nono cœli templo, electus fuit Cardinalis, & iam tandem ſummus Antiſtes, Iuſsit fabrefieri Eccleſiam, & Palatium Regium Diui Marci, in memoriam dulcis Patriæ. Vixitque annos 66.


Alexander VI. Hispanus Pont. Max.



Alexander Valentiæ natus in Hispania, erat hostis acerrimus Iulio II. Sauonensi, dum essent Ecclesiæ Cardines. & Iulius pugno, siue alapa percussit Alexandrum, quoniam Saturnus, Caput, Sol, huius oppositionis intuitu iaculabantur Saturnum, Iouem, Solem, & Mercurium in genitura Iulij, & postquam Alexander creatus fuit Pont. Max. confestim Iulius aufugit in Galliam. Sed multo antequam Morti occumberet, iussit fabrefieri Turrim marmoream in mole Adriani supra Pontem Tyberini fluminis. Obijt ex veneno anno suæ ætatis 72. Mense 10. Die 12.

Iulius.


Iulius II. Pont. Max. Sauonensis.




Iusſit fabrefieri Eccleſiam, & Monaſterium ſancti Apoſtoli, & Palatiū Columnenſium, incœpitque amplificare Eccleſiam ſancti Petri, & viam Iuliam latam, & longiſsimam, nec non Palatium ampliſsimum, ſed nō abſolutum penes Tyberim fluuium, & totam Flaminiam, Marchiā Anchonitanam, ſingulas Ciuitates, & Oppida, quæ ſunt a Piſauro Bononiam vſq;, redegit ſub dominio Eccleſiæ, Maximorumque Pontificum, profligauit Ioannem Bentiuolum Tyrannum, & omnes Bentiuolorum ſequaces, & circa finem ſuæ ætatis anni 68. obijt morte naturali, & glorioſa.

Ego autem reor veniſſe in lucem horoſcopante Scorpionis ſigno, erat enim Vir mauortius, atque iracundus.

Iulius II. Pont. Max. Sauonensis.




Leo X. Pont. Max.



Ioannes Medices Florentinus a Iuuenibus Eccl. Cardinalibus electus summus Pont. Leo X. pinguis corporatura candenti, habebat manus niue candidiores, altę staturę, Poeta, & Musicus eminentissimus, viris doctis, & pręcipue pauperibus munificentissimus. In Concistorio vnius Diei creauit XXXI. Cardinales, in suo Pontificatu fuit rerum omnium hubertas affluentissima.

Leo X. Pont. Max. Optimus.



Leo X. magnificentiſsimus habebat caput, & collum magnum, & deforme, faciem, & genas ſucciplenas, corpus procerum, ſed bene proportionatum, caro totius corporis, & manus niue candidiores, ex Venere. & Sole in horoſcopo, quin & Ioue tertiæ, & horoſcopi hoſpitatore. Sol cum ſtellis nebuloſis, oculi dextri aciem penitus hebetauit cum multis lineis transuerſis. Luna in ſexta cœli ſtatione ſub Geminorum aſteriſmo ad Martis tetragonam radiationem defluens, oculi quoque ſiniſtri lucem impediebat, adeo quidem q; nec legere, neque aliquid intueri poterat abſque conſpicilio magno chriſtallino, non autem illius aciem prorſus deſiderabat, quoniam ſalutaris Stella Iouis, Lunam trigonica radiatione intuebatur, & ita


literas lectitabat naso proximiores & oculo, sed cum illo vitreo ocello su spiciebat Accipitres, Aquilas, Astures, altius volitantes, & longe melius quã alīj venatores, ibatque sępius ad venationes Leporū, Caprearum silue strium, & vulpium, illasque optime conspiciebat, quæ a canibus leporarīȷs & molossis capiebantur, Venus, & Sol in horoscopo sub Iouis hospitio, & stilbon sub capri sidere, Falciferi contubernio platice supputatus, effece runt ipsum Pont. Max. vsquequaque in Musicis celeberrimum, & Poe tam egregium, viris doctis munificentissimum. Erat enim alter Mecenas, ommissis propemodum infinitis viris literatis, quos affluentissimis mune ribus, & beneficiīs Eccl. decorabat, Camillum Quernum Monopolitanum poetam non obscurum effecit Archipoetam, dabatq; ei singulis mensibus nouem ducatos aureos, & prandium singulis diebus, istudque distichon ex tempore edidit,

Archipoeta facit versus pro mille poetis,
Et pro mille alīȷs Archipoeta bibit

Leo X. Pont. Augustissimus quando erat Ecclesiæ Cardo Illustriss. Ab Iulio II. Antistite Max. factus fuit Legatus in exercitu Hispanorum, & Italorum contra Gallos, prope Rauennam, & vertente anno humanati verbi 1512. Aprili Die 11. Paschatis luce sacratissima, milites Regis Gallorum, & Alfonsus Ferrarię Dux Inuictiss. cum suis machinis tormentalibus interfecerunt plurimos milites Hispanos, & qui non occubuerunt illic, fugam arripuerunt, ipse autem Ioannes Medices tunc exercitus Pontificīj Legatus fuit captus ab exercitu Gallorum, & qui superstites erant. Milites Regis Gallorum victoria potiti depopularunt Ciuitatem Rauennæ, præter Arcē, quam tuebatur inuictissimus, & ingeniosissimus Marcus Antonius Columnæ columen, sed in conflictu illo horribili Pro rex Frãcorum Iuuenis cum 16. ductoribus fuit interfectus, & reliquię Gallorum militum duxerunt ipsum Cardinalem Medices ligatum, potius quam legatum vltra Padum, siue Eridanum e regione Ciuitatis Mantuanorum, & ibi in quodam contubernio, crapulæ, & bibitionibus indulgentes detinuerunt eum plerisque diebus. Interim Arnaldus Papiensis miles strenuus cum tribus alīȷs deduxit secum Cardinalem pene laruatū extra Cauponam, & cum portu in margine Eridani alligato, transfetarunt fluuium fluuiorum Regem, & quum primum ad vlteriorem ripam applicuerunt, absciso fune illius nauiculæ, seu portus lento gradu pedestres ingressi fuerunt Mantuam, vbi Franciscus Marchio inuictiss. honorificentissime suscepit hospicio Regio ipsum Cardinalem Medices, & dominum Arnaldum cum tribus alīȷs, deditque omnibus vestes magnificas, & quidem regias, Equos Mulas, & Mulos, preciosam suppellectilem cum ducatis aureis non deficiente crumena. Sed antequam Mantua discederet, Lucas Gauricus dixerat eidem Cardini: In Monasterio Monachorū sancti Fran

tisci est quidam Monachus ligni pes Mantuanus, nomine frater Seraphinus senex, doctus Theologus, Astronomiæ non ignarus, sed Chyromanticus egregius, qui (si velles) libenter exoptaret inspicere lineas tuarum manuum, & tibi singulos futuros euentus adamussim vaticinaretur. Ipse Ioannes Medices respondit, mihi rem gratissimam feceritis. Et confestim ad hortulum quendam cum Ranaldo milite, & Luca Gaurico se contulit, Ibiq; tribus diebus ante prandium inspexit suas lineas in vtraque manu, & nunquam voluit ei quidpiam prædicere nisi tertia die, in qua cōfestim ille vir bonus, & religiosus cernuus in hæc verba prorupit. Illustris. ac Reueren. Pont. vaticinor tuæ Celsitudini alteram legationem magis lucrigeram, atque honorigeram, dein nō multis mensibus post, omnes tui ab Vrbe florida profugi, in Lares patrios redibunt cum honore maximo, & tu propediem fies summus Antistes. Cardinalis ipse quodammodo incredulus respondit. Omnia hæc, quæ mihi prædixeras, nunc videntur mihi prorsus impossibilia, quippequi sum pauperrimus, & ferme vtroque oculo orbus lumine, & Iuuenis 37. annorum. Monachus ait, nil dubites obsecro mi Pont. Reueren. audies enim proculdubio me vera prædixisse. Discessitq; ille Illustriss. ac Reueren. præsul lætus aliquantisper, & quum ad Felsineam Ciuitatem aduentasset, extemplo Iulius II. Pont. Augustissimus dedit ei Legationis munera in Felsinea Ciuitate, & post interitum Iulij II. Pont. Max. Cardines Ecclesiæ iuniores (inuitis senioribus) creauerunt ipsum Pont. Max. Anno salutis christianæ 1513. dum ageret suæ ætatis 38. annum, qui postquam creatus fuit summus Antistes cognomēto Leo X. viditq; Monachum fratrem Seraphinum vera prędixisse, misit ad eum breues literas Pontificias, vt accederet ad Vrbem, volebat enim donare illum viridi Galero, quod cum recusaret, Pontifex munificentissimus destinauit ei quingentos nummos aureos, pro eius vita, & Monasterij restauratione oportunos.


Clemens VII. Pont. Max. Florentinus.



Horoscopus in vltima signorum parte facere consueuit spurios, quod de Clemente VII. Pont. Max. plerique mentiebantur, licet in eius horosco po fuerit 29. pars Leonis partiliter supputata, quoniam Alma Venus illum gradum, & Saturnum exagona radiatione intuebatur, immo Alma Venus effecit ipsum bene proportionatum, licet statura procerum, Iouis item inambulatio ad veneris cõgressum, dedit ei Pontificale solium Pontificiamque Tyaram circa finem sui anni 45. Salutaris præterea Iouis stella in nono cœli templo prope summum cœli apicem in Veneris contubernio. Item Mercurius, Sol, & Venus in eodem culmine cœli sub Geminorum asterismo supputati, effecerunt ipsum summum Antistitem. Verum pleiades partiliter fere in eodem decimo cœli templo, & Mars in secundo sub Veneris domicilio, fuerunt in causa, vt obsideretur ab Hispanis, & Alemanis militibus in mole Adriani, quam vulgo nunc castellum sancti Angeli vocitant. Labente anno virginei partus 1527. Die 6. Maij, stetit ibi cum plerisque Cardinalibus, & Prælatis cum terrore maximo, ingentiq; rerum inopia plurimis diebus, & post Vrbis depopulationem, Clemens ipse infœlix coactus fuit soluere ductoribus Cæsarei exercitus quadringenta milia ducatorum auri in auro, & 25. Episcopatus maximi prouetus, præsertim littoribus maritimis proximiores in Regno Neapolitano sub Caroli V. Cæsaris potentissimi Imperio, illosque nunquam restituit summis Ecclesiæ Pontificibus.

Paulus

Paulus III. Pont. Max.




Vixit Annos 81. Menses 8. Dies 16. circiter. Obijt 1549. 10. Nouembris, ob repētinum discessum Octauij Nepotis inauspicato, & insalutato Auo, sanguis accensus circa cor Paulum III. repente peremit.

Tertius ex alto descendit Paulus Olympo,
Vt pius hic terras, Iuppiter Astra regat.
Paule hominum Pastor, patriæ princepsq; paterq;
Qui merito in terris sceptra tonantis habes,
O tibi, quem Christus voluit sua sceptra tueri
Det lætos Petri concelebrare dies,
Astra nouum nouies quanq; fœliciter annos
Portendant, veluti dictat Apollo meus.


Paulus III. summus Ecclesiæ Antistes, optimus, clementissimus, Græce, & Latine doctissimus, Theologus celeberrimus, & Astronomiæ non ignarus, viris doctis, & virtute præditis munificentissimus. Vixit Annos 81. Menses 8. Dies 16. circiter, & in Pontificatu florentissimo Annos 15. Mẽses 8. Dies 14. Quos portendebant Luminaria, & horoscopus, Aphete hoc est datores vitæ, & annorum (licet omnes planetę pręter Mercurium fuissent in hemisphœrio inferiore) quod Claudius Ptolemæus neutiquam approbare videbatur. Lucas vero Gauricus in mille propemodum genituris experientia compertum habuit fuisse longioris vitæ illos, qui habuerunt in eorum genituris omnes Planetas sub terra quam qui supra terrã. Lucas Gauricus ex Vrbe Neptunia vtpote Veneta, anno Virginei partus 1532. scripsit eidem Alexandro Farnesio Cardin. Illustrissimo quatenus Lunæ defectus, ei renuntiare videbatur pleuresim, vel apoplexim, & in aquis aliquod vitę periculum. Anno 1533. vertente, nihilotamen secius duce bono regimine euaderet, mense autem Octobri 1534. statuerat ad Romuleam Vrbem remigrare, vti suos pedes sacratissimos deosculaietur. Hæc omnia quum suos sortirentur euentus, Lucas Gauricus vates veridicus accersitus a summo Pont. Paulo III. remigrauit ad Vrbem sequenti Anno 1535. mense Aprili fecitq; ipsum continuum commensalem, & Equitem sancti Petri. Anno item 1545. Die 14. Decembris inuitum quodammodo, & nihil tale Ambientem creauit Episcopum Ciuitatensem cum prouentus 300. ducatorum auri, & singulis mensibus decem aureos, & expensas sibi, & tribus famulis, & duabus mulabus, & equo, superioribus denique annis pro fide Christiana contra Lutheranos exposuit sexcẽta milia aureorum, & soluebat militibus decem millibus aureorum non paruam quantitatem, fecitq; Italiam tranquilla in pace lætari. Quam ob rem Anima eius corporeis nexibus resoluta ad cœlestem patriam remigrauit.

Iulius III. Pont. Max. vt inquiunt.

| 340 41 20 |




Dominicus Grimanus Venetus Cardin.




F uit Philoſophus eminentiſsimus, perſpicaciſsimus, & Theologus doctiſsimus, in eloquio humaniſsimus, proceræ ſtaturæ, ſed bene proportionatus, in facie pallidus, raro viſus fuit ridere, Melancholicus cogitabundus. obijt morte glorioſa, Anno 64. Menſe 5. ex directione horoſcopi ad imū cœli, In Biblioteca Diui Antonij Venetijs delegauit infinitam propemodum librorum copiam inqualibet ſcientia, reliquit etiam Nepotibus maximam congeriem numiſmatum Auri, Argenti, & Metallorum, in quibus erant impreſſæ imagines Imperatorum, Regum, & Illuſtrium virorum.

Robertus Puccius Florentinus Cardin.




F uit candenti facie,procerus ſtatura,tamen proportionatus, Venereus,mo dicæ literaturæ,oblectabatur ſecreta naturæ perſcrutari. Vertente anno ſalutis 1541. Menſe Septembri,fuit creatus Piſtorij,ſeu Piſtoriæ Epiſcopus. Sed 1548. Cardinalis a Paulo III. Pont. Max. Anno 1549, ſuæ ætatis 85. obijt ex ernia ventoſa,quæ in veſica erat inſtar ſui capitis, habuit Puccius fratrem natu maiorem Cardinalem ditiſsimum,& alterum minorem ipſo, qui citius obijt quam ipſe Robertus Puccius Florentinus.

Emius Verulanus de Bauco Cardinalis Albanensis.




Iulius II. Pont. Max. fecit hunc Emium Episcopum, & misit eum Legatum ad Heluetios, & suo eloquio fecit descendere contra Gallos, & Iacobum Triulcium ductorem exercitus Regis Francorum decem & octo milium ex illis Heluetijs, qui profligarunt milites singulos Gallorum. Et Anno salutis 1536. Die 22. Decembris, Paulus III. Pont. Max. donauit eum Galero rubro, seu Cardineo. Ex directione ☉ ad □ eius, Item in cõuersione anni suæ ætatis 83. fluentis, ♂ erat in gr. 25. 44. ♊ horoscopi natalicij, ♃ ☿ in ♈. □ ♄. Item ☉ ♃ ☿ ☋ ⊕ in cacodemone sub ♈ □ ♄ Anno 1549. Decembris 19. ætatis Anno 82. Mense 8. Die 28. Romæ obijt in mole Adriani.

Petrus Bembus Venetus Cardinalis.



Edidit multos versus elegos, & heroicos, tandem composuit Grammaticam in lingua Vernacula, Barbarica, Gotica, prorsus distante a Latina elegantiore.

Laurentius Campegius Cardin.




Laurentius Campegius, natus Mediolani, ex clarissimo genitore Mantuano, Ioanne Campegio legum professore celeberrimo, in prouecta ætate erat candidus, venustus, ex vxore honesta satisq; pudica suscepit treis liberos Mares, & duas femellas, sed tandem coniunx illa infœlix obijt ex partu. In Ciuitate Patauina publico salario satis honesto profitebatur, ius ciuile plerisque annis, postmodum mortua vxore se contulit ad Vrbem Romuleam, vbi factus fuit Auditor Rotæ 1510. Dein 1512. Mense Nouembri electus Feltrensium Episcopus. Illum Episcopatum renuntiauit Thomæ fratri suo doctiss. Vertente autem anno Christianæ lyturgiæ 1517. calend. Iulij creatus fuit Ecclesiæ Cardo Reuerendiss. nutu Iulij II. Pont.

Pont. Augustis. postmodũ Legatus ad Ducem Mediolani, & Paulo post ad Anglorum Regem ditissimum, a quo habuit dono Palatium amplissimum, & marmoreum in suburbio fundatum, in quo habitat Alexander Campegius, Bononiensium Episcopus, & Cardinalis Reueren. anno suæ ætatis 49 hebdomatico incœpit fieri podagricus, & chiragicus vsq; ad supremos cineres, post eius interitũ chyrurgus subsecuit ei pectus, & in iecinore, seu epate comperit 13 lapillulos. Senio cõfectus, oblectabatur lautis conuiuijs, & ludis taxillorum, & alearum, iacens tota die ac nocte in suo cubiculo, vt animi turbas effugeret, & in conuiuijs maxima faciebat dispendia. Item pauperibus, & virtute præditis, erat munificentissimus, & sæpius admonebat egenos, vt neutiquam dono dent munera diuitibus, quippe qui aiebat.


Munera diuitibus qui donant, munera vendunt,
Nam plusquam dederint, accipere hi cupiunt,
Munera pauperibus qui donant, munera perdunt,
Si plusquam dederint, accipere hi cupiunt,
Munera vera puto, quæ nullo fœnore dantur,
Mercator nanque est, qui dat, vt accipiat.

Iacobus Sadolettus Mutinensis Cardin.doctissimus.




1537. Augusti ætatis 59. laborauit febre, & ventris profluuio.
1537. Decembris 21. ætatis 59.9.5. Cardin. ex Sole ad horoscopum.
1547. Martij 15. ætatis 69. 0. 0. obijt ex horoscopi directione ad quartam, fuit Cardin. vir summe probitatis, & eloquentissimus, fuit secretarius Leonis X. in suo Episcopatu Carpentrasi quem resignauit Nepoti suo, scripsit librum in laudibus philosophiæ elegantissimum, Philosophus, & Theologus egregius.

Hieronymus Aleander Cardinal.



1538. Martio 13. Cardin. a Pont. Paulo III. creatus ob illius ingenij dotes. Erat enim Latine, Græce, Hebraice, Caldaice, omniumque disciplinarum celeberrimus, atque memoriæ profundæ. 1542. ætatis anno 63. ex ☉ ad ☍ ♂ obijt ex cholica passione, in tibijs semper quodammodo aliquid mali patiebatur. Venetijs legauit in biblioteca publica pretiosam omnium librorum copiam, e regione librorum Cardinalis Niceni, biblioteca publ.


Thomas Campegius, Feltrensium Episcopus.



Thomas Campegius in ætate Iuuenili erat candidus, venustus, & in prima Lanugine legum professor egregius, & artium doctor clarissimus Bononiæ profitebatur philosophiã in publica Achademia. In Mathematicis disciplinis valde eruditus, in Vrbiũ Regina creatus fuit Feltriæ Episcopus, patrocinio fratris sui charissimi, & ab anno Seruatoris nostri Iesu Christi 1547. ad 1550. fuit in Vrbe Rector Cancellariæ iustissimus, postmodum iuit ad Synodum Tridentinam 1551. & ab anno ætatis suę 63. cępit habere aures aliquantisper obtusas (vt inquiunt) Iulius Cæsar ex Germania rediens, Feltriæ obsessus a niue altissima iussit, vt exculperetur in marmore istud suum disthicon.


Feltria perpetuo niueum damnata rigori
Salue, iterum post hac non adeunda mihi.

Marcus Antonius Campegius Epiſcopus.




Marcus Antonius Campegius Bononienſis,frater germanus olim Laurentij Cardin. Epiſcopus Groſſeti Reueren. corpore ſuccipleno,paruæ ſtaturæ,oratoriæ,& poeticæ facultatis apprime eruditus,pecunioſiſsimus , ſed (vti plerique Bononienſes inquiunt)aliquantiſper auarus,noctes atq; dies ſedet in lecto podagricus,quæ fraterna eſt hæreditas.

Alexander Campegius Cardin.




Fuit filius legitimus Laurentij Campegij Cardin. Anno 1522. Aprili 30. suæ ætatis 18. cum 18. diebus fuit a scloppo vulneratus in coxa. Item anno 1545. Iulio 30. laborauit febre tertiana vsque ad octauum diem Augusti, veluti Annua conuersio denuntiabat, Iuppiter cum Luna partiliter alligatus, & Sol in quinto loco horoscopũ trigonica radiatione suspiciẽs ipsum a morte eripuerunt.

Ioan. Petrus Theatinus Cardin. Neapolitanus.



Ille Ioan. Petrus Theatinus Carrafa Neapolitanus, nobilißimus patricius, Græce, & Latine doctißimus, facundus, eleganti eloquio, religiosus Macie confectus, & incuruus ob senium. In prima ætate perpessus fuit in capite duas cicatrices, vti edocuit Ptolem. inquiens, quicunq; habuerit Martem in horoscopo vt hic, omnino habebit insignem in facie cicatricem. Annus suæ ætatis 79. erit insalubris, siue perniciosus ex directione horoscopi ad Saturnum.


Hyppolitus Estensis Cardin. frater Alfonsi Ducis Ferrariæ.



Illustrissimus ac Reueren. Hyppolitus Cardin Estensis frater Alfonsi Ducis Ferrariæ minor natu, habuit fratrem alterum Ferdinandum, qui natus fuerat Neapoli, & Ferrariæ circiter 30. annos stetit in carceribus, & ibidẽ mortuus. Ille Cardin. vir mauortius dum esset in venationibus cum Donno Iulio fratre suo naturali, iussit suis famulis Martialibus, vt illi effoderent oculos, & ita factum fuit, ille infœlix vnum ex illis ocellis ad nasum vsq; pendentibus, proprijs manibus in orbibus consuetis introclusit, & ab vno tantum videbat, ab altero nihil, & in carceribus stetit multos annos, & in eis obijt.


Pompeius

Pompeius Columnæ columen Cardin.




Pompeius Columna Romanus Princeps augustissimus Cardin. Illustriss. ac Reueren. erat toto corpore satis bene proportionatus, perconcinnus, magnanimus, Orator, Philosophus, & Theologus egregius, virtute præditis munificentissimus. In Ciuitate Neapolitana, dum ageret Vicem Regis iustissimus morti occubuit, & ibi eius cadauer fuit honorificentissime subhumatum anno suæ ætatis 53. fere completo.

Durantes Cardin. Brixianus.



Reuerend. Cardin. creatus fuit a Paulo III. Pont. Max. quoniam multos annos fuit Aulicus secretus, & obsequiosus Oratoriæ facultatis, & Poeticæ non ignarus, Cardineum galerum assequutus fuit Anno 1544. die ♀ 19. Decembris, suæ vero ætatis Anno 57. Mense 2. Die 13. vel circiter fuit Legatus Camerini plerisq; annis iustissimus, extra Vrbis mœnia emit Palatium amplissimum a florentissimo pomerio circundatum, & intra Vrbis mœnia prope Ecclesiam sancti Petri habet Domum regifico luxu decoratam ex ♃ ☊ in imo cœlorum Cardine, quem rebus stabilibus Genethliaci deputarunt.


Cardinal. de Burgo Hiſpanus.



Fuit olim Monachus in relligione ſancti Dominici. Sed anno Virginei partus 1545. ſuæ vero ætatis Anno 56. Menſe 5. Die 10. fuit creatus Cardin. nutu Pauli III. Pont. pientiſsimi, & patrocinio fratris ſui, qui agit Pro regem in Regno Neapolitano. Iſte Cardin. Reueren. multas facit elemoſinas pauperibus, rerum cœleſtium non ignarus ex Mercurio in quinta domo ſub Cancri ſidere, in quo habet numen, & eſt paruæ ſtaturæ, & corporatura obeſus, bonus comeſtor, vini abſtemius, & in fine prandij, ſeu cenę bibit magnam Phialam aqua plenam. Anno ſuæ ætatis 73. circa finem erit in mortis diſcrimine.


H ij

Ioan. de Saluiatis Florentinus Cardin.




Ioannes Cardinalis de Saluiatis Florentinus ditiſsimus atq; locupletiſsimus, rerum cœleſtium, & Philoſophiæ non ignarus, altæ ſtaturæ, pinguis, bene tamen proportionatus, ſed cecutiens. Eſt Epiſcopus Ferrarienſium. Anno humanati verbi 1517. calendis Quintilibus, ſuæ vero ætatis 27. Menſe 3. Die 1. vel circiter fuit creatus Cardo eccleſiæ Reueren. a Leone X. Pont. auguſtiſsimo, Poeta, & Muſico eminentiſsimo.

Nicolaus de Gadis Florentinus Cardin.



Nicolaus de Gadis Florentinus ab Clemente VII. creatus fuit Cardinalis, Anno suæ ætatis 38. circa finem primi Mensis Christianæ vero salutis 1527. in prima Maij hebdomada, & Misellæ Vrbis depopulatione, ante illud tempus huc illuc cursitans tanquam tabellarius contulit se in Galliam, vbi stetit plerosque annos apud Regem Franciscum. A quo multa habuit beneficia magni prouentus, literarum non ignarus, Latino sermone suos conceptus eleganter enuntiat. Ad decrepitam perueniet ætatem, maior natu inter fratres Seruis ingeniosis oportunus, & literatis munificus.

Ioan. Dominicus Trani Cardin. Decanus.



Ille Cardin. Reueren. Epiſcopus Hoſtienſis Cardinalium Decanus, Theologiæ, & legum doctiſsimus, fuit donatus galero rubro a Leone X. Pont. Max. anno ſalutis 1517. ſuæ vero ætatis Anno 21. Menſe 10. confeſtim elapſo, ex progreſsione culminantis cœli ad exagonum Saturni, & locũ Lunæ. Genitrix eius dulciſsima ei interdixit, & iuſsit ſub vinculo obedientiæ, & amore materno, vt in poſterum nunquam accedere audeat ad prãdium, neque ad cœnam apud menſas ſummorum Pont. necꝫ Cardinaliũ, ſed in ſuis dumtaxat ędibus.

Et ſua iam timidus prægustet pocula Papas.


Ad annum vſcꝫ 1552. genitricis iuſſa ſeruauit. Beneficæ ſtellæ in cardine occiduo pollicentur ei viridem, atcꝫ fœlicem ſenectam, & fortaſſe Pontificiam contribuent poteſtatem, & glorioſam mortem.

Rodulphus Pius Cardin. de Carpo.




Vir formosus, hilaris, elegans, facetus, facundus Philosophus, Theologus, virtute præditis munificentissimus, habuit comitem Albertum patruum Philosophum eminentissimum, oblectatur statuis marmoreis, & metallicis, & omnigena librorum biblioteca.

Ioan. Federicus Cadin. de Cesis.




Federicus ille Cardin. de Cesis est macilentus, parua corporis statura bene formatus, oblectatur cultura pomeriorum, & statuis marmoreis, sua industria cumulauit suos prouentus circiter decem millium scuti aureorum, habuit patrem Angelum iuris peritissimum atq; ditissimum, & fratrem natu maiorem Ciuilis Iuris doctorem egregium, & fratrem natu minorem catacem, & ignarum.

Marcellus Ceruinus de monte Politiano Cardin.




Ex Hermete, quem Babilonij stilbonta vocabant, Latini Mercurium cum Sole horoscopi domino, Saturno, & nodo vrsino culminantibus euasit studiosus Latine, & Græce doctissimus, probus, modestus, tamen cogitabundus, melancholicus, taciturnus, ob genij sui dotes egregias fuit Donatus Rubro galero, Cardinea quippe dignitate, nutu Pauli III. Pont. doctissimi. Anno suæ ætatis 38. vertente cum Mensib. 8. Diebus 14. circiter, vtraque Stella salutaris in nono cœlorum templo, & ☉ cum ☊ Mercurius in suo contubernio dederunt, dabuntque ante supremos cineres honoris insignia maxima, quum primum ex vtero matris prodijt, pater Astrologus lętus dixit, hodie est mihi natus summus Ecclesiæ Antistes.

Nicolaus de Rodulphis Florentinus Cardin.



Reueren. Cardin. de Rodulphis Florentinus ditissimus, fuit creatus a Leone X. Pont. augustissimo. 1517. calen quintilibus, suæ ætatis vero Anno 16. non erat literarum ignarus, & oblectabatur in suis ędibus pascere viros doctos, erat luscus, ex Luna ad tetragonũ Martis spherali vulnerata, obijt calen. Februarij 1550. suæ vero ætatis 49. hebdomatico, siue climacterico, & directione horoscopi ad oppositum Saturni.


Nicolaus Ardinghellus Florentinus Cardin.



Cardinalis Tituli sancti Apollinaris vtriusque iuris peritus, erat proceræ staturæ, macilentus, & natus fuit fere semimortuus, vt inquiunt.


Reuerendissimus Cardin. Ardinghellus legum professor eximius, labente humanati verbi anno 1539. die 20. quintilis mensis, in Valle Spoletana, quæ vulgo Vallis stricturæ nuncupatur, Rusticorum furore perpessus fuit in capite vulnera septem, & pleraque alia in pectore. A seruis aufugientibus derelictus, pro mortuo iacuit humi prostratus horis duabus, vel circiter, verum salutaris stella Iouis in occiduo cœli Cardine, ab Alma Venere, & Sole fœliciter irroratus in stilbontis domicilio, eum eripuit a morte cruenta, quippe qui alter Bubulcus audiēs illum respirare gemebundum, pietate compulsus, semimortuum posuit supra vehiculum suum, duxitq; illum misellum ad eius Tuguriolum, & confestim accersiuit Chyrurgum, cuius solerti industria, & ope Machaonia sedata fuerūt intra paucos dies eius vulnera, & illi Bubulco, & Cyrurgo dedit plerosq; ducatos aureos, & comitatus ab ipsis, & plerisq; aliis reuersus ad Vrbem pedester, confestim a Paulo III. Pont. clementissimo factus fuit Datarius labentibus. Annis Christianæ lyturgiæ 1541. 1542. Verum ex fœlicissima conuersione Annua electus fuit Ecclesiæ Cardo Reuerend. vixitque admodum honoratus, & pecuniosus. Anno autem humanati verbi 1547. die 23. Augusti ex directione horoscopi ad tetragonum Solis, & Annua conuersione pœnitus commaculata, vtpote anno 44. mense 5. die 10. ætatis suæ, fuerunt pernitiosi cœlorum defluxus potissimum in causa, vt ex febre melancholica diem suum clauderet nouissimum bene confessus, atque contritus. Vnde eius Anima corporeis nexibus resoluta ad cœlestem patriam remigrauit. Suum vero cadauer iacet in Templo Mineruę, satis quidem honorifice subhumatum.

Hyppolitus Medices Cardin.




Illustrissimus ille Hyppolitus Medices Cardin. Reuerend. erat venustus, formosus, tota corporatura bene proportionatus, doctus Orator, & Poeta, Masicus militibus, viris eruditis, & Musicis munificentissimus, liberalis, magnanimus. Anno virginei partus 1540. suæ vero ætatis 28. cum 3. mensibus completis ex Veneni potione interijt, quam quidam perfidus scelestissimus proditor ei porrexerat, post obitum quodammodo repentinum a militibus dicti Cardin. deductus fuit ligatus ad molem vsque Adriani, in qua stetit 8. diebus, dein aufugit ad suorum fratrum penates, & vnus illorum, proditori facinoroso cum dentibus extirpauit sibi nares, mox populi furore lapidatus, & sub lapidum congerie obrutus,

Guido Ascanius Sfortia Cardin. Sanctæ Floræ.



A scanius Sfortia filius olim Bosii ex Sfortiadum familia, & ex genitrice Constantia filia Diui Pauli III. formosa, succiplena, candida. Iste aũt Cardin. electus ab Auo dum ageret annum suæ ætatis 16. cum 23. diebus ex directione decimę ad exagonum Iouis, est autem aliquantulum paruæ staturæ, in corporatura non assimilatur parentibus.

Alexander Farnesius Cardin.




Alexander Farnesius, ex directione horoscopi ad Saturnum, dein ad Martis diametrales radios, labente ætatis suæ anno 13. grauem perpessus fuit ęgrotationem satis periculosam. Nihilominus stellæ salutares, & Sol platico intuitu irrorantes Falciferum, & Martem incardinibus platice collocatos, illum ab interitu eripuerũt. Alma Venus in suo domicilio, Solem in suo lectulo, & complexibus mutuis recipiens sub nono cœli templo, Luna Mercurium, & summum cœli apicem exagona radiatione suspiciens, i tem stilbon, & pheton hoc est Mercurius, & Iuppiter summum cœli Cardinem circundantes, & Auus suus Paulus III. Pont. tunc potentior omnibus stellis supra enarratis contribuerunt eidem Alexandro Farne-

sio Cardineam dignitatem cum prouentibus a fluentissimis, fuit autem electus, siue creatus Ecclesiæ Cardo Reuerendiss. dum erat in gymnasio Felsineo labente humanati verbi 1534. die Lunæ 21. Decembris, suæ autem ætatis anno 14. mense 2. die 15. vel circirer, Quod culminantis cœli ad Iouis coitum etiam decernere videbatur; postea lætus remigrauit ad Vrbem cum suis fratribus natu minoribus. Sol, & Venus genitoris sui significatores vtrunque a maleficis sauciati suo genitori violentam mortem contribuerunt, ipse autem præcaueat ne sua sit hæreditas paterna,


Si cupit in terris longeuam ducere vitam.

Raynutius Farnesius Cardinalis.



Ex Ioue horoscopum fœliciter irrorãte Raynutius Farnesius fuit ab Auo electus Cardin. Anno salutis 1545. die 16. Decembris, suæ autem ætatis anno 15. mense 4. die 7. Tituli sancti Angeli, dein Legatus Marchiæ Anchonitanę, seu Maceratę, vbi didicit prima Latini sermonis rudimenta, postmodum postergauit literarum studia, indulgens genio, obesus corpu lentus. Anno 1547. Septemb. 10. Sol cum Marte, & ad tetragonum Saturni singnificator patris sui Petri Aloisii mortem dederũt dedecorosam in Placentina Ciuitate. Horoscopi inambulatio ad Solem, Anno ętatis huius 39. dein 41. ad Martem obnuntiat huic Raynutio grande aliquod vitę discrimen.

Ioannes de Pogio Bononiensis Cardin.




Ioannes de Pogio, anno 16. suæ ætatis iuit in Hispaniam cum Natali Hispano citharedo, & ab illo didicit pulsare cheli ruraliter. Paulus III. in primo anno sui Pontificatus creauit ipsum Episcopum Tropeæ in Calabria, eumque postea præfecit Nuntium in tota Hispania, vbi ex Decimis, & spolijs Cardinalium, Prælatorum, atque Sacerdotum, congessit pro Summo Pont. & Cæsare, & suo laboris emolumento maximam numorum congeriem, Emitque officium Thesaureriatus, & in Vrbe Regium Palatium. Item Bononiæ, & Mantuæ, quãplurimas ędes, & Nepoti Anchonitanorum Episcopatum, Ipse postea fuit electus Cardin. a Iulio III. Pont. Max. anno 1551.

TRACTATVS
TERTIVS
IMPERATORVM
REGVM PRINCIPVM
SCHEMMATA ET
APOTHELES-
MATA.



Caroli V. Cæſaris ſchema.




Ab Alemanis Aſtronomis ſupputatum.

Quandoquidem in pueritia, & adoleſcentia laborabat morbo Regio. Lucas Gauricus ſuæ Maieſtatæ iſtud Diſtichon deſtinauit.

Magnus Alexander Cæſar, Tyrinthius heros
Sub quorum Imperio terra, fretumque fuit,
Quo cadis ipſe ſacro ceciderunt Carole Morbo,
Sic cadere inuicti Cæſaris omen habet,


Caroli V. Cęſaris Aeſtimatiuum ſchema.




A nno 1519. Martio electus Cæſar Alemanorum ætatis ſuę 19. anno cum tribus menſibus, ex directione culminantis cœli ad cor Scorpionis.

Anno 1530. Februario 24. 18. 15. horologij Bononię Anno 1542. ipſe cum omnibus fere ſuis militibus perpeſſus fuit in Gyaris omnimodam iacturam, & terris, & aquis. Quid vlterius ſuę Maieſtati ſidera portendebant quum ſint omnibus cognita, hic reticebimus.

Caroli V. Imperatoris figura cœlestis.




Philippus Maior natu Caroli V.



Ab Hispania 1551. nauigauit in Flandriam, & ibi in Hastiludio lancea percussus in pectore cecidit ab equo semimortuus.


Ferdinandus Romanorum Rex.



A nno ſuæ ætatis 4.obijt pater eius. Anno 1527.Martio 10.electus Rex Pannoniæ,& Boemię,vertente 1531.Ianuarij 5.creatus Rex Romanorum,ſed 11.die coronatus.Auguſtiſsimus Rex eſt macilentus,color faciei fuſcus, mediocris ſtaturę,natus in Hiſpania , eſt munificentiſsimus pręcipue militibus,& viris doctis,Latino ſermone loquitur ſatis elegãter , optime callet idioma Hiſpanicum,Alemanicum, & lingu am habet Vngaricam,Boemicam, & Italicam,Princeps intrepidus.


Maximilianus

Maximilianus Ferdinandi Regis Romanorum maior natu ex Anna regina.




Anno ætatis ſuæ 3. menſe 1. die 4. vel circiter ſalutis 1530. Septemb. 4. cecidit bis ab alto, & leſus fuit in fronte & maxilla. Anno 1551. iuit in Hiſpaniam.

Ferdinandus II. filius Ferdinandi Regis Romanorum




	A.	M.	D.	
Horoſc. ad ☍ ♄	28	11	0	Melancolicam ſeu phlegmati. ægr.
☉ ☍ ♂	41	9	6	Colericã & iram ♂ obnuntiat.
☉ □ ♄	48	4	23	Chronicã corporis diſcraſiam.
☽ ☍ ♄	57	10	24	Quartanam ſeu tertianam febrẽ.
☽ □ ♂	64	8	0	Ex febre acuta, aut igne diſcrimen.

Ioannes Rex Lusitaniæ.




Ille Rex Portugalliæ, est omnium Regum ditißimus, Paulus III. Pont. creauit eius fratrem Cardinalem, & quidam de Bufalis Romanus portauit Galerum rubrum Cardini, qui dono dedit ei plusquam mille & quingentos aureos, & pleraque alia munera cum Psitaco.

Henricus Francorum Rex Christianissimus.




Inclitissimus Gallorum Rex Henricus Christianissimus, erit Regum quorundam Imperator, ante supremos cineres ad rerum culmina perueniet, fœlicissimamq; ac viridem senectā, vti colligitur ex Sole Venere & Luna horoscopantibus, & potissimum, Sole in suo trono partiliter supputato. In ciuitatibus Arieti subiectis maximum sortietur dominium, si forte superauerit suæ ætatis annos 56.63.64. ad annos 69. Menses 10. dies 12 facili ac fœlici tramite perducetur.

Caterina vxor Henrici Regis Francorum.




Caterina Medices Florentiæ nata, anno ſalutis 1539. iuit in Galliam Septembri menſe,& ibi nupſit Henrico Francorum Regi, ex quo ſuſcepit duos liberos mares,quorum primus maior natu venit in Lucem Anno 1544. Ianuarij ♄ 19.die in occaſu Solis, horoſcopante 10 parte Leonis, Sole in cardine occiduo partiliter ſupputato. Luna in quinto cœli templo ſub Sagittario.

Carolus Orliens Princeps, vltimus filius Franciſci Gallorum Regis Chriſtianiſsimi.




Labēte anno humanati verbi 1545.obijt ex veneni potione ex horoſcopi in ambulatione ad fines Falciferi dum eſſet in rei militaris bello cõtra Cęſarem Carlum in Flandria ſub Męnibus altis Bononiæ Ciuitatis Planetę 4.in cacodemone, & potiſsimum Sol ſub Aquario eius detrimento a Martis congreſſu ſauciatus,eidem Principi citam mortem denuntiabant.

Federicus Gonzaga, Primus Dux Mantuanorum.




Lucas Gauricus credit, illum Federicum habuiſſe in horoſcopo locum Solis partiliter ſupputatum, erat enim venuſtus, immo formoſior omnibus principibus qui aderant Bononiæ in coronatione Cæſaris, quam ei dedit Clemens VII. & Cæſar creauit ipſum Federicum primum Ducem Mantuanorum, ſi natus fuiſſet horoſcopante 23 ♉ parte prope pleiades & ibidem Saturnus, fuiſſet turpiſſimus. Sed Gaurico iudice venit in lucem horoſcopante 5.15.♊. Decima 8.0. ♒ & ita horoſcopi, & Solis directio intulit illi necem anno ætatis ſuæ 40. menſe 7. die 6. circiter.

Dux II. Mantuæ.




Illuſtriſs. ille ſecundus Mantuanorum Dux primogenitus Federici Ducis Ganymede formoſior, labente ætatis ſuæ anno 17. duxit in vxorem vnã ex filiabus Sereniſsimi Regis Romanorum Ferdinandi. Qui adoleſcens infœlix anno 1550. menſe Februario die 16. vel 17. in carniſpriuio obrutus in Lacu Mantuano obijt. Quippe ꝙ Aquarum Nymphæ illum ſurripuere Ducem.

Ferrandus Gonzaga Mantuanus.




Inuictissimus Ferrandus Gonzaga Mantuanus, militũ Ductor clarissimus, superioribus annis fuit a Cæsare Carolo creatus Pro rex in tota Sicilia, vltimo Moderator Mediolani, & totius Insubriæ ab anno salutis 1547. ad calcem 1552. cum honore maximo, & nobilium atq; populorum beneuolentia, & reuerentia. Ipse Cæsarei exercitus Dux, & Moderator intrepidus, armipotẽtissimus atq; magnanimus, est Genitori suo simillimus in re militari. Si superauerit annos suæ ætatis 69. 70. viuet 76.

Ascanius Columna.




Fuit Princeps formosissimus tamen corpore pinguis, & succiplenus. Anno 1532. suæ autem ętatis anno 31. cum mense 5. fere ex directione horosco pi ad Saturnum in pede Iesus ex precipitio, & tunc Luna etiam erat in te tragono Saturni, & Iuppiter Rex in Scorpione ad oppositum Martis. fuit exul ab Vrbe donec vixerat Paulus III. Pont. Fabricius Columna eius filius, morti occubuit Anno 1551. Augusto mense.

Profper Columna II. filius Afcanij.




Anno 1529. circa finem Iulij cępit egrotare ad calcem vfque Septembris, Natus Gaietę, Confcia fatorum fidera huic Profpero Columnę Illuftrif. parua viuendi tempora portendunt, & mortem naturalem, atque gloriofam inter opes affluentifsimas, cum honoribus amplifsimis.

Marcus Antonius Columna filius III. Ascanij.




Ille Marcus Antonius Columna clarissimus non degenerabit ab Illustrissimo, & doctissimo Marco Antonio Columna in re literaria, & militari si inuigilauerit, sed mors huius erit naturalis.

Ferdinandus Salernitanorum Princeps.




Ab vxore venuſta nullos ſuſcepit liberos,quod decernere videbatur Mercurius quintæ domus hoſpitator alligatus Marti partiliter in ſigno ſterili. Ipſe Princeps,& vxor ſpatio 12. annorum didicerunt literas Latinas & Græcas a Pomponio Gaurico Geophonenſe. Anno 1551. calend. Iunij ſcloppo fuit vulneratus in poplite,& tota hieme ſtetit Paduæ.

Guido Baldus Vrbini Dux.




Fuit filius inuictissimi Francisci Mariæ Ducis Vrbini, Ductor clariss. Venetiani exercitus. Anno 1547. duxit vxorem Victoriam Neptem Pauli III. Pont. Max. ex qua anno 1549. suscepit filium. Et dictus Pont. fratrē Guido Baldi adolescentem circiter annorum 16. fecit Cardi. & Perusiæ Legatum.

Octauius Farnesius Nepos Pauli III.




1538. Octobris 18. Pręfectus Ecclesiæ. 1538. Nouembris 3. duxit vxorē Caroli Cęsaris filiam naturalem. 1549. Nouembr. 5. discessit ab Vrbe ad Ciuitatem Parmę, quæ olim Chrisopolis appellabatur, ibi stetit obsessus, seminauit duos liberos 1545. natos in Vrbe secundo genitus, & primo cōceptus, interijt 1549. Primus adhuc vescitur Aura etherea anno 1552. Quando fuerunt concepti, Mars solus erat in Aquario signo fixo, reliqui omnes planetæ & Luminaria erāt in ♓ bicorporeo asterrismo, ideo nati fuerunt gemelli.

Sigiſmundus Rex Poloniæ.




Genitrix illius Regina eſt Itala, prima vxor Sigiſmundi Regis obijt, Rex ille anno ætatis ſuæ 33 erit in mortis periculo.

Ioannes Bentiuolus Tyrannus.




Ioannes per Antiphrasim Bentiuolus, in Felsina Ciuitate multos annos exercuit tyrannidem cum tribus filijs, & plurima Nepotum caterua, in vna nocte fecit iugulare circiter 18. Iuuenes de Marescottis. Si quis vellet enarrare homicidia, & scortationes ab illis perpatratas, esset profecto impossibile, quoniam Gauricus in quodam Vaticinio impresso, vt se reciperet ad pedes Iulij II. Pont. Max. persuasit, alioqui ipse profligabitur cum omnibus suis, & Aedes suæ solo ęquarentur. Ipse persuasus a Christophoro Pogio, iussit vt Gauricus quater brachiorum torturas experiretur. Dein hora quinta noctis fuit infœlix, tunc vates, 25. diebus in carceres atros detrusus. Itaque Misello vati veritas nocuit. Non multo tempore post, Iulius II. Pont. Max. intrepidus cum vno exercitu prope Imolam, & altero in Mutinensium municipio, singulos illos Tyrannos, & sequaces profligauit, & Palatium eius fuit solo æquatum, vti omnes norunt, & Tyranni omnes illi vitam cum morte commutarunt, & ante obitum atroces pœnas dederunt.

Ludouicus Sfortia Dux Mediolanensium.



F uit ditissimus, proditus ab Heluetijs suis militibus, & datus ligatus Ludouico Gallorum Regi, & in Galliam deductus, quodammodo desperatus interijt, Exitus vitæ fuit infœlicissimus.

Massimiliani Imperatoris.




Maximilianus Imperator (licet nunq̃ assumpserit Cæsaream coronã) fuit homo corporatura formosus, procerę staturæ, tamen bene proportionatus, doctus Orator, scripsit suos fastus, siue diaria gesta, oblectabatur Ceruorum, & Caprearum syluestrium venationibus, & in illis semper quodã modo benigne satis, ac læto vultu recipiebat, & libenter auscultabat Regum, ac Principum Oratores, & singulos, qui ad suę Maiestatis Cesareæ clementiam accedebant. Et pientissimus ille Cęsar abhorrebat, hominum strages, etiã in conflictu bellico contra hostes suę Maiestatis, doctus.

Parcere subiectis, & debellare superbos,


Genuit Philippum, qui ab vxore inclita suscepit Carolum Cęsarem V. & Ferdinandũ Regẽ Roma. Augustis. obijt anno 1519. Ianuarij 12. die.

Franciſcus Gonzaga Marchio Mantuæ.




Armipotentiſsimus,& munificentiſsimus,in Marmirolo rure ſuburbano ha bebat 500.Equos magnanimos,quodammodo alatos,ipſe in villa quadā prope Veronam,Auguſto menſe requiem captans,incautus peruenit ad manus Lucij Maluetij Bononienſis,eumq; deduxit Venetias, vbi cū parua cuſtodia ſtetit pleroſq; menſes.Poſtea Iulius II.Pont.Max.fuit in cauſa vt libertate donaretur.Gauricus multo ante in Vaticinio quodam,publice impreſſo,hæc omnia prædixerat.

Alfonsus Ferrariensium Dux.




Genuit tres liberos mares, Ducem Herculem II. inuictissimum, Hippolitum Cardinal. Reuerend. & Donnum Franciscum Armipotentissimum, ipse obijt morte naturali 1534. die 13. Octobris.

Illustriss. Magnificus Iulianus Medices Florentinus.



Frater Leonis X. Pont. Max. proceræ staturæ, macilentus, fuit Vir summe probitatis, & clementiæ, genuit filium Cardin. Medices formosum, ditissimum, magnanimnm, & doctum in poetica facultate.


Comes Guido Rangonus Mutinensis.



Fuit armipotens, militum Ductor bellipotens, in Astronomia egregius. Habuit uxorem nomine Argentinam, formosam, nobilem, ingeniosam, sed sterilem, & Viro superstitem.

Donnus


Donnus Federicus Dux Calabriæ.



F uit filius Alfonsi Regis, natus in Ciuitate Andri Apuliæ, iamdiu destinatus a Carolo V. Valentiæ Pro rex, ibiq; indulget Musicæ, & venationibus. Habuit primam vxorem vetulam, & sterilem, quæ fuerat vxor Regis Hispaniarum. Secundam quoque satis pinguem, & sterilem.


O

Franciſcus Maria Dux Vrbini.




Rauennæ interfecit propria manu Cardin. Papiæ 16. vulneribus confoſſum, & ipſe morte naturali obijt, quē ſimulac interfecerat Cardin. Papiæ, Iulius II. profligauit ipſum, & aufugit Mantuam, vbi ſtetit pleroſq; menſes, ſed omnes Cardin. rogarunt dictum Pontificem, vt reſtitueretur in ſuo dominio, & ita reuerſus fuit ad Vrbini Ciuitatē, & Pont. Iulius nunquam voluit, vt ante ipſum accederet.

Illuſtriſs. Rex Anglorum.




Rex Anglorum doctiſsimus, & ditiſsimus, ſed Lutheranus, iuſsit obtruncari caput vxori, dein Concubinæ, ipſe ex febre obijt anno 1547. Ianuarij 17. die, ætatis ſuæ anno 55. cum menſibus 5. diebus 6. ex directione horoſcopi ad Saturnum.

Franciscus nomine, Primus Francorum Rex Christianiss.




Corporatura obesus, statura Giganteus, & Herculeus. Pleriq; Genethliacorum in genitura eius supputabant horoscopum sub tertia Geminorum decuria. Gauricus vero sub tertia Cancri parte, ex qua, tempore Leonis X. publicæ prædixerat, & victoriam contra Eluetios in oppido Marignani prope Mediolanum, vltimo in obsidione Papię anno 1525. 24. die Februarij, dum esset Venetijs, in Vaticinio impresso, & diuulgato vaticinatus fuit, quatenus ad hostiles Hispanorum militum manus deduceretur, a suorum militum plerique ductoribus derelictus, quod ita accidisse nemo ibit inficias, obijt 1547. Aprilis 2.

Fabricius Maramaldus Neapolitanus.




Ille Maramaldus ſæpe fuit militum Ductor ſtrenuus, in capite, facie, & ſpatula paſſus fuit vulnera ex ſcloppo, 1522. in prima Martij hebdomada interfecit vxorem ex Marte in ſeptima. Anno eodem Auguſti 3. die in Ciuitate Mantuana in conflictu duellico, equeſter interfecit Comitem Cerriti Carraphæ. In bello vniuerſali pluſquam centũ pedites interfecit. Anno ætatis ſuæ 51. cum diebus 17. ex febre phlegmatica, ſiue melancholica morti occubuit, ex directione horoſcopi ad tetragonum Saturni..

Alexander de Vitellis.




In Ciuitate castelli natus. In Vngaria contra Turchas fuit Ductor multorũ peditum, & omnes interfecti fuerũt, cum 25 milibus alijs Christianis. Interiiectis postea plerisq; annis, iuit in Germaniam cum Cardin. Farnesio. Anno salutis 1552. adhuc viuit, Ductor militum in obsidione castelli Mirandulani.

Cosmus Medices Dux Ethruriæ.



Si Cosmus Medices venit in lucem labente anno Christianæ Lyturgiæ 1519. Iunio die 12. hora 2. noctis sequentis (diducto quadrante vnius horæ) Lucas Gauricus vaticinaretur ei annos 72. vel circiter, si forte superauerit annos 52. 63. suæ ætatis. Quid autem interea portendant Mars in occiduo cardine platice supputatus, & Stilbon ibidem partiliter, Saturnus horoscopi Ecodespotes, & Luna in cacodemone, alij diiudicent.

Petrus Stroza Florentinus.



Illustrissimus Petrus Stroza Florentinus patricius in rei militaris disciplina armipotens intrepidus, magnanimus, sagax, ingeniosus, inimicorum terror, Consobrinus Caterinæ serenissimæ, vxoris Henrici Regis Fräcorum. Ab equis, & scloppo pericula, & iacturas patietur, & in partibus obscenis aliquid mali. Si bono cum Regimine superauerit insalubres suæ ætatis annos 49.58. viuet annos 82. mors proueniet ex febre pestifera, & ventris profluuio, extra natale solum.

1511 · stilo romano & 1510 · stilo flor.no, hora · 12 · horologii die 29 · februarij · nacque questo ·

Tractatus


TRACTATVS QVARTVS

SCHEMMATISMI, FIGVRATIONESQVE COELESTES ILLVSTRIVM VIRORVM PHILOSOPHORVM, ORATORVM,

Poetarum, Musicorum, Pictorumq; Decreta.




Perectus Mantuanus magnus philoſophus.




Erat puſillus corpore,homuntio quodammodo nanus, ex Sole,& Mercurio in imo cœli,pulchra facie,capite magno, geſtabat infulam in occipiti capitis vergente,facetus,affabilis,philoſophus egregius,Patauij profitebatur philoſophiam ordinariam,concurrens Antonij Fracanzani. Dein Bononię Achillini,& Sueſſani,& ſcripſit contra eundem Auguſtinum Sueſſanum duos libros de immortalitate animorum, duxit treis vxores, vti Lucas Gauricus ei prædixerat,& ipſe ſæpius dicebat, iam tertia ducitur vxor,& nunquam habuit niſi vnicam filiam, deditq; ei in dotem duodecim milia ducatorum. Obijt ſenio confectus.

Ioannes Picus Mirandulanus.




In hoc cœleſti ſchemate ab aliȷs ſupputati fuerunt planetæ ad integros gradus examinati. Fuit Orator, Poeta, & Philoſophus celeberrimus, & elegantiſsimus, & multos edidit libros elegantiſsimos, & vnũ volumen contra Aſtrologos ſuæ ętatis admodum iratus, quoniam tres potiſsimum vaticinabantur ei mortem anno 33. ſuę ętatis fere completo, ex directione horoſcopi ad Martem ſicuti accidit. Lucius Bellantius Senenſis diluit eius argumenta, & aniles fabellas, excuſans tamen illũ fuiſſe Aſtrologiæ ignarum, ſed philoſophum excellentiſsimum, emit Florentię domum regiam, & hortos durante eius vita, & ibi mortuus eſt.

Alexander Achillinus Bononienſis philoſophus.




Erat venuſtus,altæ ſtaturæ,ſed bene proportionatus,lętus,iucundus,ridens, affabilis,ſtuduit Pariſiis tres annos in philoſophia,euaſitque dialeticus,& philoſophus eminentiſsimus,diſputator ſubtiliſsimus,& quaſi ſemper erithimematice diſputabat,edidit multos libros,& potiſsimũ de orbibus tractatum egregium. In legendo erat obſcurus,& perplexus,obijt Bononię ſolo natali, ex febre acuta anno humanati verbi 1512 Auguſti die 2.hora 19.circiter,ſuæ vero ætatis 49.climacterico.

Hieronymus Gubius philosophus, & Medicus.




Hieronymus Gubius erat paruæ staturæ, magno capite, obesus corporatura, caluus. Anno 1507. Paduæ profitebatur philosophiam extraordinariam, deinde ordinariam, erat cõcurrens Ioannis Scotij Neapolitani, vltimo se contulit ad Vrbem, & ex re medica maximam congessit aureorũ congeriem, emitq; ibi palatium, regificamq; domum, & omnia bona reliquit mobilia, & stabilia filio vnico Fabio legum doctori, claudo aliquantisper, qui euasit Auditor Rotæ, & ad annum vsque vixit 1550. Ipse Hieronymus doctor obijt Romæ. 1537. Februario die 21. suæ ætatis anno 68. cum 17. diebus vel circiter. In conuersione illius anni erant Luna, Cauda in Sagittario, Mars Sol Venus in septima sub Aquario.

Ioannes Antonius Scotius Patritius Neapolitanus & Philosophus.




Ioannes Antonius Scotius patritius Neapolitanus, bene proportionatus, venustus, ex Venere in suo trono. horoscopum fœliciter irradiante, fuit philosophus elegantissimus, quippe qui publico in Patauino Gymnasio 1507. profitebatur philosophiam ordinariam cum eleganti eloquio, in concurrentia Hieronymi Gubij, quē in disputationibus sæpe fecit ipsum redarguere. Sed in suis ædibus priuate Astronomiam profitebatur. Creatus fuit Episcopus Anglonensis 1510. die 24. Aprilis, ætatis suæ 41. mēse 1. die 4. Obijt. 1534. Ianuarij 15. suæ autem ætatis 64. mense 10. diductis sex diebus.

Tiberius Baccillerius Bononieñ profeſſor philoſophię egregius



Ex Venere in horoſcopo fere partiliter ſupputata in ſuo trono, erat facie roſeus, venuſtus, iucundus, alacer, lętus, affabilis, ridens, facetus, decenti corporatura procera, bene proportionatus ſanguineæ complexionis, ſiniſtra manus erat fortior q̃ dextra. Legit Dialeticam Bononiæ, dein Patauij, & philoſophiam extra ordinariam, demum clariſſimus Artium profeſſor, conductus fuit in Papienſi Achademia cum ſalario 500. aureorum, & ibi profitebatur philoſophiam, & multos in philoſophia edidit libros, qui ſunt impreſſi, obijt in eodem Gymnaſio, anno ſuę ętatis 50. menſe 9. die 23. vel circiter, ex horoſcopi inambulatione ad coitum Falciferi, & caudę draconis. Frater eius minor natu erat Typographus pauper.


Franciſcus Sanſon Siculus philoſophiæ profeſſor.



Franciſcus Sanſon Siculus, philoſophiã publice profitetur in Vrbe cum ſalario 300. ducatorum auri in auro, Aſtrorum non ignarus, Græce & Latine doctus, Abbatiam poſsidet nõ pauci emolumẽti in Calabris ſaltibus Ioannes Baptiſta eius frater maior natu, in violone pulſando clariſsimus ab illuſtriſsimo Cardin. Medices habuit perenniter 25. aureos quolibet menſe. Secundus frater Franciſci, maior etiam natu eſt ignarus, ſed exigit prouentus Abbatiarum in Calabria, & procurat negotia domeſtica.

Franciſcus


Franciscus Petrarca Florentinus.



Istud schemma cœlicum fuit ab alijs supputatum.


Fuit Poeta clarissimus in lingua Latina & Vernacula, non indiget buccinatore suarum virtutum, quum per se laudetur, celibatum seruauit, tamen genuit filium, qui cito obijt.

Georgius Trapezuntius Cretensis Astronomus.




In Creta insula natus, cuius latitudo est 36. Fuit ludi literarij professor in plerisq; Italię ciuitatibus, & Astronomus clarissimus. Ipsemet scripsit omnem suæ ætatis seriem, & hanc cœlestem natalis sui figuram supputauit Latine, & Grecæ multiscius.

Franciſcus Philelphus Florentinus.




Mercurius, ſiue hermes, quem Babilonij Stilbonta vocabant, ſub virginis Aſteriſmo ſua altitudine, & contubernio Veneris hegona radiatiōe plati ca irroratus, effecit ipſum Oratorem facundiſsimum, & Poetam egregiū, & in vtraque lingua celeberrimum, Ex Venere cum Marte in cacodemo ne fuit omni libidine flagrans in virginibus, & pueris potiſsimum. Antonius Panormita coram Pontano aſſerebat compertum ſibi fuiſſe Franciſco Philelpho treis teſticulos fuiſſe ingenitos, ex directione Solis ad tetragonum Martis, obijt anno ætatis ſuæ 81. menſe 8. die 12. licet Aſtrologi ſui temporis dixerint eum 83. annos vixiſſe.

Ioannes de Monte Regio.




O biit diem suũ in Vrbe Romulea ex febre pestifera, siue epydimia in Xenodochio sancti Spiritus anno ætatis suę 51. cum mensibus 5. diebus 12. vel circiter, ex directione horoscopi ad tetragonum Saturni, quod etiã Mars a luminibus circundatus in epycataphora horoscopi Ecodespotes denuntiare videbatur, fuit in Astronomia, & Astrologia eminentissimus, quippe qui multos edidit libellos, & Epythoma super Almagesto Ptol. In Latino sermone neutiquã barbarus.

Frater Baptiſta Carmelita Poeta.




Frater Baptiſta Hiſpanus paruę, & modicę ſtaturę, fuit Carmelita Monachus, Poeta nõ obſcurus. Ipſe iureiurando affirmauit Gaurico dum eſſet Mantuę, quod in Hiſpania ſex vltimos libros Faſtorũ Ouidij ſulmonenſis habebat. Ego certus ſum profecto illum fuiſſe mẽtitum, quum tanto tempore nullibi fuerint reperti. Circa tertium menſem anni ſuę ętatis 56. labentis grauiter egrotauit, ex directione horoſcopi ad coitum Falciferi, & anno 69. circa 8. menſem morti ocucubuit, ex horoſcopi directione ad foueam planetarum.

Clarissimi Marci Antonij Sanuti Patricij Veneti, Astrorum doctissimi.



Per Annimodar instar Solis examinata hæc figura cęlestis, & ab ipso Marco Sanuto supputata', fuit enim clarissimus Astronomus, & fabrefecit Spheram solidam, in Metallo Ereo sculptam, & Armillam ex ferro fabricatam perpulchram, præterea Tintinnabulum, siue horologium, in quo dignoscuntur Luminarium coitiones, & oppositiones, & vtriusque defectus. Fieri iussit multa instrumenta organica.


Hermolaus Barbarus doctissimus vsquequaque, Aquileiæ Patriarca.



Hermolaus Barbarus Venetus Patricius, ex cognomento familiæ, in singulis scientiarum disciplinis elegantissimus, ab omni barbariæ alienus, ob suas genij dotes, & generositatem fuit factus Aquileiç Patriarcha, vixitq; 66. annos, fuitq; mors vltima linea vitæ.

Sed tamen ipsius nomen inorbe viget.


Angelus Politianus Florentinus.



Angelus Politianus Orator, & Poeta celeberrimus fuit, ſed ex veneni potione ſibi mortem conſciuit.


Antonius

Antonius Tibaldeus Ferrarienſis Poeta.




A ntonius Tibaldeus Ferrarienſis Patricius, in ſermone Latino, & lingua Vernacula fuit Poeta clariſsimus, pro uno Epygrammate endecaſyllabico in laudem Leonis X. Pont. auguſtiſsimi, habuit dono quingentos aureos. Erat uenuſtus, altæ ſtaturę, ſed egregie proportionatus, diues, locuplex, Ferrarię habebat Palatium regificum. Obijt Romę anno 1537. ætatis ſuę 74. illicet completo die Veneris, in qua uenit in lucem, ex febre uenenoſa cum uętris profluuio, quod horoſcopi directio ad caudam denuntiabat.

Paris de Cesarijs Mantuanus,




Erat facie, & barbitio rufus, uenustus, procerę staturę, sed proportionatus, ex Ioue in horoscopo cum Marte, ditissimus, & locuplex, habebat ędes regias, ingeniosus, legum professor, in literis Latinis, & Gręcis eruditus. Quũ senectutis limina fuit ingressus, incępit dare operam Astrologię, & supputabat domos cœlestes per gradus ęquales, & quidem ruraliter, cuius uestigia immitantur Ioan. Schonerus, & Cardanus.

Erasmus Rotodamus Orator, magisq; Poeta.



Erasmus Rotodamus olim monachus, claruit magis in oratoria facultate, quam in Poetica, scripsit librum de Prouerbijs, & de copia uerborũ Moriam, & plerosque alios libellos, obijt suæ ætatis anno 63 mense 11. didu ctis 6. diebus.


Camillus Quernus Aquicola Monopolitanus.



Camillus Quernus Monopolitanus obesus, ventrosus, Poeta non obscurus, qui iurabat se edidisse in honorem beati Dionysii versus heroicos circiter septingenta milia, idcirco Leo X. dedit ei cognomen Archipoetæ eiq; libenter dabat quolibet mense 9 aureos, & quolibet mane in prandio comedebat supra Scabellum vrso voratior, & dum ab Astantibus quæreret salem vt vitreos ciatos plenos meri nectarei ingurgitaret, Leo decimus dixit.


Salsa iuuant Quernum lętum excitantia Bacchum.

Ianus Parhasius Calaber, facundissimus Orator, & Poeta celeberrimus.



Fuit in literis tum Græcis, tum Latinis eminentissimus, tamen podagricus. Tempore fœlicissimo Leonis X. in Scholis publice profitebatur cum eleganti facundia syluas Statij, ad quem confluebat maxima Auditorum caterua. A natalicio seruatoris 1516. Octobri mense laborauit in extremis. vti colligebatur ex Lunę deliquio sub 9 Leonis parte, & horosc. Aiunt illum interijsse anno suæ ętatis 63. hebdomatico, & enneatico, fere omnibus exitioso.


Philippus Beroaldus Iunior Bononieñ Poeta,& Orator celeberrimus.



Ille Philippus Beroaldus Bononiensis, clarus Orator, suo tempore semper stetit in Vrbe,& ibidem interiit labente anno 1518.sextili mense,ętatis suæ 46.mense 2 circiter.Donec vixit fuit gratus Pontificibus, reor ipsum non fuisse formosum.


MAN. Quod si quem sanctum velis,castumq; probumq;,
Hic tibi nascetur quum primus Aquarius exit.

Ioannes Baptiſta Aquilanus.



Ioannes Baptiſta Aquilanus erat proceræ ſtaturę, ſed macilentus Orator facundus & Poeta. Sedēte Paulo III. Pont. Optimo, edidit 1500 verſus elegos contra nouam & Goticam linguam ethruſcam, & illos qui tranſferunt libros Latinos in Vernaculam. Ille etiā Ioan. Baptiſta Aquilanus plerumq; habuit orationes elegantiſsimas coram Paulo III. & Cardinibus, atq; Pręlatis eccleſiaſt. Obijt Romæ in ſuburbio labente anno humanati verbi 1544. circa finem menſis Februarij, ſuæ ætatis anno 63. hebdomatico, & enneatico. Fuerunt ſuperſtites frater, & Nepos, germani fratris filius.


Camillus Palliotus Bononienſis.



Fuit Poeta elegantiſsimus, & Orator facundiſsimus, literarum Græcarum non ignarus. In Gymnaſio Felſineo patrijs quippe laribus poeticam facultatem publice profitebatur.


Labente anno Christianæ lyturgiæ 1498. die Iouis 24. Octobris, patrem ammisit virum sanè quam clarissimum. Anno autem 1501. ipse Camillus conflictatus aduersa valitudine, eaq; longa, & a principio periculosa, vt postquam ęgrotare cęperat tertia die, a plerisque Medicorum mortuus omnino reputaretur, & ipse tunc ęgrotauit a calendis Septembris, vsque ad natalem Dominicum, pridie nãque eius diei paulatim modo vsque ad ędem Diui Iacobi ędibus suis proximiorẽ egredi cœpit passibus 30. circiter. Anno 1503. profiteri poeticam publice agressus fuit, cum prefatione versibus heroicis decorata supra librum Poetæ Mantuani elegantissimum. Anno 1506. declaratus Reipublicæ a secretis, idq; mense Decembri. Anno 1507. Octobri mense, 200. libras monetę Felsineæ Moderatores Reipub. pro lectura supra salarium exaggerarunt. Cæterum vertente anno suæ ętatis 49. hebdomatico, climacterico, Scalari, Decretorio morti occubuit. Precisius autẽ anno 48. cum vno mense statim absoluto ex febre pestifera, atque venenosa, ex directione horoscopi ad caudam nodũ auctrinum de natura Falciferi & Martis, obijt itaq; anno virginei partus 1530. die 21. Iulij vel circiter.

Martinus Lutherus Monachus sancti Augustini.




Martinus fuit imprimis Monachus per multos annos, demum expoliauit habitum monialem, duxitq; in vxorem Abbatissam altæ staturę Vittimbergensem, & ab illa suscepit duos liberos. Hęc mira satisq; horrenda. 5. Planetarū coitio sub Scorpij asterismo in nona cœli statione quā Arabes religioni deputabant, effecit ipsum sacrilegum, hereticum, Christianę religionis hostem acerrimum, atq; prophanum. Ex horoscopi directione ad Martis coitum irreligiosissimus obijt. Eius Anima scelestissima ad Inferos nauigauit, ab Allecto, Tesiphone, & Megera flagellis igneis cruciata perenniter.

Tyresius Fuscararius Bononiensis Patricius.




Vsq; ad annum salutis 1552. fuit macer, & procerę staturę, sed decenti corporatura, Orator, Poeta, & Musicus eminentissimus, sacris ordinibus decoratus, beneficiatus, Leoni X. gratus, & ab sua beatitate honoratus. Item ex Ioue, Venere, & Mercurio fere partiliter in horoscopo, fuit maior natu inter plerosque fratres eius germanos, & virtute generosior, & sat religiosus Canonicus, non autem admodum locuplex.

Ioan. Heremita Ferrarienſis.




In Arithmetica, Geometria, & Algebra, erat celeber, & ĩ Aſtronomia theoricali perſpicaciſsimus, nemo melius ꝙ̃ ipſe intellexit Euclidem, & nullus Ferrariȩ fuit excellentior ſuo genitore, qui ſubtilius intelligeret Euclidẽ, quem publice profitebatur in Ferrarienſi Achademia, nihilominus Ioan. filius patrem ſuperauit. Erat Canonicus ſat religioſus in eccleſia ſanctæ Mariȩ tranſpontina, ibiq; mortuus, & ſepultus fuit in ſuo Canonicatu, vti relligioſos decet ſacerdotes.

Nicolaus Petreius Corcireus Orator, & Poeta.




Ioan. Grammatici Commentaria in Aristotelis de Animaliũ generatione libros, Gręca ab ipso primum edita, tum prębfatione Gręca, & Latinitate elegantissima donata. Item Meletius philosophus de structura, & natura hominis, ab eodem Petreio latinitate donatus, opus quippe vtilissimum omnibus bonarũ artium studiosis, & nunq̃ prius visum. Item Polemonis opus phisiognomicum latinitate donatum, Opusculum præterea Hippocratis de homine, omnia simul edita vno contextu cum opusculo Melampi de neuulis corporis. Edidit præterea orationes plerasq; elegantissimas, Epistolas carmine, & prosa oratione scriptas, & Epigrãmata, & multa alia egregia monumẽta, quę dixit se habere in patrijs laribus, sed eas tandem orationes Gregorij Nazazeni ab eodem latinitate donatas cum elegantissima prębfatione, dicata Hieronymo Saulo Genuę Archiepiscopo, Bononię Vicelegato.

Cornelius Agrippa.




In literis Latinis,Gręcis,Hębraicis,& Chaldeis doctissimus,& in rerum cęlestium disciplinis reliquis etiam Mathematicis non obscurus professor, habuit vxorem formosissimam,fuit gratus Cæsari Carolo Quinto.

Marius Molza Mutinensis.



Marius Molza Mutinensis Poeta clarissimus, Orator. In lingua Latina, & Vernacula egregius, elegans, & doctissimus, licet aliquantulum balbutiens. Edidit Decamorioneum librum, quas vulgo Centum Nouellas vocitant (sed nondum impressę circunferuntur) facetijs refertas, & multa epygrammata. Morti occubuit anno salutis 1548. vertente.


Romulus Vtinensis Orator facundissimus.



Romulus est vir Macilẽtus statura corporis procera, pusillo capite, caluus. In literis Latinis & Gręcis pręclarus, Orator, Poeta, Bononię fuit Secretarius, 40. Senatorum, & artẽ oratoriam publico salario 300. aureorum conductus profitebatur quolibet anno. Dein nutu Pauli III. ex lectura in vrbe habebat 600. aureos Sub Iulio III. Pont. Max. Anno 1550. habuit officium Blosii literarum Apostolicarum Secretarius. Filius vnicus superstes est Orator non inferior patre, & Bononię profitetur bonas literas.


Andreas

Andreas Alciatus legum professor elegantissimus.




Andreas Alciatus didicit literas Græcas a Pomponio Gaurico Patauij, & tractatum de Significationibus verborum,& de Illuuionibus,euasitq; legum doctor egregius,Ferrariæ profitebatur iura ciuilia,sed textum dumtaxat decretorum eleganter explanabat. Obijt Ferrariæ anno 1546 . ex Saturno in oppositione horoscopi,& Sole Martis tetragono sauciato. In conuersione Annua non solum directiones Aphetarum,sed Annuæ conuersiones penitus commaculatæ interimunt.

Carolus Capellius Patritius Venetus.



Carolus Capellius Patricius Venetus clarus Poeta, & Orator, Grȩcæ, & Hebraicæ linguæ nõ ignarus, habuit plerosq; liberos, & duos fratres germanos, quorum vnus minor natu nomine Bernardus Poeta, & Orator eximius, a Senatu Veneto fuit profligatus, quoniam habuit orationem coram Senatoribus in vtilitate, & honore Iuniorum, & in Vrbe Romulea a Paulo III. obtinuit plerosq; magistratus sibi oportunos, Carolus autem obijt in Cyprio Regno Prorex labente anno 1547. quando horoscopi inambulatio ad Martis fines peruenit.


Ludouicus Vitalis Bononiensis.



Istud Schęmma cœlicum ipsemet Ludouicus supputauit.


Ludouicus Vitalis Bononiensis Physicus, & Astronomię professor publice in Gymnasio Felsineo, macilẽtus, procerę staturę habens pedem dextrum rotundum, instar pedis equini claudicans ab die natalitio ita formatus.

Reuerend. fratris Leandri de Albertis Bononiensis, ordinis sancti Dominici.




Sol nonæ domus hospitator cum Mercurio, & Luna in horoscopo, effecerunt ita genitum religiosum, & satis doctum, Iuppiter in occiduo cardine, & eius altitudine, pollicetur ei fœlicem, ac viridem senectam ad annum vsque ætatis suæ 88. cum mensibus 10. diebus 18. si superauerit 79. 82. 86. insalubres.

Philippus Melancton Grece, & Latine doctus.




Philippus Melancton Orator facundissimus, Poeta egregius, profitetur literas Latinas, Græcas, & Hebraicas, Astrorum peritus. In Italia eius scripta sordent, & sunt explosa, quoniam redolent heresim Lutherianam. Ab vxore suscepit plerosque liberos ingeniosos. Ex directione horoscopi ad oppositionem Saturni anno ætatis suæ 17 cum vno mense diebus 10. febris periculosa ipsum in primis corripuit, dein erupit in pectore ingẽs, & tetrum apostema.

Ioachinus Camerarius Norimbergensis.




Ioachinus Camerarius Norimbergẽsis Orator, & Poeta egregius, Astrorum cognitione peritus, eleganti Latinitate decorauit duos primos tractatus Apotelesmatum Ptolæmei. Ex Ioue in nona sub piscibus suo cõtubernio, aiunt ipsum esse Christicolam, & non lutherianam perfidiam olfacere.

Mathæus Taphurius Apulus.




Erat in Mathematicis disciplinis, & Latinis, atq; Græcis literis præclarus. Antequã fuisset mente captus, quod autem futurus fuisset mentis inops de se ipso sepius vaticinabatur, quippe quod Stilbon & Luna nulla se mutua radiatione conspiciunt, plerisq; annis post crapulam, & crebras bibitiones efficitur bardus, & sui ipsius immemor, nihil ad propositum loquitur, sed verba profert dissona. Labente anno humanati verbi 1525. Lucas Gauricus in Vrbe Veneta promulgauit prognosticon in quo Regem Gallorum, qui erat cum numeroso exercitu prope Senas fore tunc ad hostiles manus peruenturũ. Sed Mathæus cupiens sibi ingẽtem nominis gloriam vendicare, contrarium vaticinabatur, & omnibus fere Senatoribus Venetis scribere non erubescebat Gauricum falsa prognosticaturum, & quod Rex ille Christianissimus debebat hostes singulos conculcare, & funditus pessundare, sed quum Gauricus fuisset Augur verissimus, Mathęus autem Taphurius vanus, ne ab omnibus derideretur, rogitauit Magnific. Laurentium Orium Patricium Venetum doctissimum, qui tũc fuerat electus Orator ad Regem Anglorum, vt non dedignaretur eum suscipere in suum gregem, quod quum ita factum fuisset, & in eodem Hiberniæ Regno plerisq; mensibus commoraretur, Taphurius stolidus prædicere ausus fuit, Cæsarem Carolum V. infra paucos menses illo anno interiturum, & quum præteriisset tempus deputatum, & Cæsar nihil mali perpessus fuerit, Iussu Reginæ fuit in carcere detrusus, & ibi dementior factus, cæperat exclamare noctes, atq; dies, & eo altius, quippe quod Iacobus quidam adolescens venustus, & ingeniosus discesserat ab Hiberniæ, siue Angliæ Insula, tandem Taphurius demens illico ad Venetianos penates nauigauit, vbi dimiserat forulum, siue cassulam libris Græcis, & Latinis plenam, valoris 50 ducatorum, eos venundedit pro quinq; ducatis aureis, & extemplo iter arripuit ad Poloniæ Reginam, & postquã Nauita cum sua Cymba illum trãsfluuium quendam fortasse Timaum nolens soluere aliquid portitori, fuit ab illo Nauta vulneratus in capite, natando cum veste madefacta reuersus fuit Venetias. Demum ad patrios lares, & Neapolim pedester se contulit, aiuntq; Misellũ anno 1550. adhuc vescier aura etherea.

Georgius Sabinus Victimbergensis Orator, & Poeta clarissimus.



Quamq́ venerit in lucem in ciuitate Victimbergensi tamen cum multis suis filijs, & filiabus, & vxore aufugiens Bellicos tumultus, se contulit cũ tota familia, & suppellectile ad oppidum, seu ciuitatem Monteregij, & inde anno 1550. destinauit ad Gauricum Elegiam de Christi die natalicio, religiosissimam, quippe qui nullam ille bonus vir redolet heresim lutherianam, sed catholicam fidem veneratur, vti bonos decet christicolas.

Franciscus de Monza Mediolanensis.



| 159 46 |

ANNO

1497

AVGVSTO

D. H. M.

♀ 18 17 37 Horol.

18 0 20 P. M.

| 249 46 |

Franciscus de Monza Mediolanensis diuinus, Musicorum omnium eminentissimus, fuit Orpheo, & Apolline clarior in pulsanda cheli testudinea, & quolibet Organico instrumento, Quippe qui.

Intonuit nunquam melius, qui tartara flexit,
Quod Delphin Graio pondere vexit onus.

PROPERTIVS.


Hic querulas habili percurrit pollice chordas,
Tam doctas quis non possit amare manus?

LVCAS GAVRICVS.

Qui tecum certet fidibus, Cytharæve, Liræve,
Hic velut a Phœbo Marsia victus erit,
Pulcram sume chelim, docto quoque pollice chordas
Percute, & ad cantus pellice saxa tuos.


Habuit Patrem Musicum, & tres fratres Musicos, modulationibus claros, sed non adeo longeuos. Ipse obijt anno 1543. suæ vero ætatis anno 47. mense 4. die 15. ex directione Solis ad oppositum Saturni. Genuit filium superstitem, ex cuius Genitura Patris cita mors decernebatur.

Perinus Francisci discipulus.




Perinus Iuuenis formosus, & Musicus non obscurus, fuit discipulus, & alumnus domini Francisci Mediolanensis, & se cõtulit in Galliam ad Reginam Francorum inclitam.

Vincentius Mutinensis Organista clarissimus.




In pulsandis Organicis instrumentis, & Cymbalis erat præceteris eminentissimus cum digitis longis, & macilentis velocissimus atque dulcissimus, habebat pro salario quot annis a Leone X. aureos 700. & sportulã pro ipso & famulo, edocuit Iulium eius Nepotem impulsandis etiam Organis Orphicum. Ille miser auarissimus Vincentius morti occubuit 49. anno suæ ætatis labente.

Ioan. Angelus Teſtagroſſa Papienſis.




Ioannes Angelus Teſtagroſſa Papienſis, caput habebat magnum, naſum paruum, & ſimum, faciem carnoſam, erat corpulentus, & aſpectu deformis, tamen lętus affabilis, benignus, manus habebat candidas, digitos pariios, & pingues in tractandis chordis teſtudineæ chelis velociſsimos, fuit Magiſter primus Franciſci Mediolanenſis. Anno ſuæ ætatis 60. cum 8. menſibus completis obijt.

Matheus Taruiſianus cantor,& Muſicus.



Matheus Taruiſianus Cantor, Muſices præclarus cum voce ſonora,lętus alacer,iucundus,plenus leporum,& pater facetiarum.Duxit vxorem Taruiſii, ex qua plerosq; ſuſcepit liberos,Mortua coniuge, & iniciatus ſacris, in Vrbe fuit electus cantor,& Magiſter capelle in Eccleſia Diui Petri cū optimo ſalario,fecitq; fabrefieri domum amplam,& perpulchram in ſub urbio ſecus Eccleſiam tranſpontinam.Sed iam tandem impia fata mortē dedere nefandam ex febre acuta anno ætatis ſuæ 55.menſe 5. die 6. circiter,humanati autem verbi anno 1543.Iulio menſe.

Illustriss. Iulius de Ruuere Musicus clariss. & Philosophus.




Illustriss. Princeps Iulius de Ruuere est Orator, Poeta, Philosophus, & Musicus eminentissimus, nihilotamen minus.

Rancidulum quiddam balba de nare locutus,

Ex familia Iulij II Pont. Max. ab omnibus iure optimo honoratus. Possidet ex suorum oppidorum prouentibus, plusq̃ septem milium ducatorum aureorum. Munificentissimus singulis virtute præditis.


Marcus

Marcus Antonius de Pisaris Bononiensis.




Mercurius in domo Iouis,& finibus Veneris,partiliter in horoscopo supputatus,& Venus ibidem, effecerūt hunc Marcum Antonium Musicum clarissimum,præcipue in fidibus canoris pulsandis. Verum Sol, Martis, & Saturni spherali tetragono sauciatus oculorum aciem hebetabit, verumenimuero Saturnus, & Mars in Cancro signo aqueo, in aquis vitæ discrimina denuntiare videntur.

Elisabet Vrbani Genuensis filia




V enus in Mercurij hospitio, ad eiusdem Mercurij exagonum defluens, & Luna a Mercurio irrorata, effecerunt ipsam Elisabetam in pulsanda cheli Orphicã pręclarã, quippe digitos habebat graciles, & velocissimos. Genitor suus nomine Vrbanus Genuensis, erat Musicus egregius. Virũ duxit Galeatium Ferrariensem Musicum præclarum habuitq; filiolam in tractanda cheli testudinea non ignobilem. Sol a Marte, & Cauda draconis obsessus, Luna ad Saturni congressum defluens, oculi sinistri aciem ex uariolis obtenebrarunt, & interitum ex peste horrifica.

Iulia Ratta de Maluitijs Bononienſis.




Iulia Ratta de Maluitijs Bononienſis formoſa Mulier, macilēta,potius paruæ ſtaturæ quàm proceræ, Iuppiter, Venus, Mercurius in Virgine eius contubernio. Item horoſcopus in finibus Mercurij,a beneficis planetis circundatus, effecerunt ipſam Iuliam ſatis ingenioſam in pulſanda Cheli,Cythara,atque uarijs inſtrumētis Organicis cæleberrimam . Fuit deſponſata viro nobili primo,ſed non copulata. Tandem anno 1546.deſponſata, & copulata Ioanni M luitio Equiti aurato,orba fratribus. Licet Mars, & Sol ſint in occiduo cœli cardine,tamen Mors ipſius Iuliæ erit naturalis,& glorioſa ex Ioue in epycataphora cœli porta ſuperna in ſtilbontis hoſpitio, & altitudine.

Albertus Durerius Norimbergensis.




Albertus Durerius fuit Pictor celeberrimus in Ciuitate Norimbergensi, vt inquiunt. In Italia fuerunt Pictores eminentissimi Leonardus Vincius Florentinus, Donatellus Pictor, & Sculptor eximius, Raphael Vrbinas, Titianus, Andreas Mantegna Mantuanus, Costa etiam Bononiensis, & Francia Pictor, & Aurifaber, & pleriq; alij, quorum genituræ non circunferuntur. Excellentissimus omnium est Michael Angelus Florentinus.

Michael Angelus Florentinus.




Mercurius eous a Sole 27 gradibus elongatus, in Falciferi hoſpitio, ab ipſa Venere irroratus exagona radiatione platica, effecerunt ipſum Michaelem Angelum ſculptorem, & pictorem eminentiſsimum, Phidia, & Praxitele clariorem cum opibus affluentiſsimis, quam fœlicitatem affirmare videtur Iuppiter ſecundæ domus hoſpitator in horoſcopo platice ſuppυtatus, & a Venere fœliciter irrigatus. Ex ſui genij dotibus theſauros affluentiſsimos cumulauit, & a Principibus eccleſiaſticis honores clariſsimos.

Pompeus Tarcon Venetus.




In adoleſcentia, & Iuuenili ætate fuit Aurifaber egregius, dein adiecta eſt ei ab aſtris maior genij excellentia in ſculpendo figuras concauas, & eminentes, ſiue eleuatas in lapidibus, quos vulgo cameos, Iaſpides, & hebenum vocitant, alioſq; lapides precioſos, & non ſolum in eis, ſed in ferro, calibe, & quolibet metallo inſignire hiſtorias, & quaſcunq; figuras eleuatas. Huiuſcemodi dotes enarratas, quæ ingenio, & manibus pertractantur, merito quidem gloriari ſeipſum fuiſſe primum inuentorem, omniũq; virtutum eſſe participem, præter picturas, in quibus nunquam voluit ſe intromittere.

Alexander Ceſatus Florentinus.



Iſte quoque Alexander, eſt clarus in ſculpendo figuras concauas, & eminẽtes in lapidibus, quos vulgo cameos appellãt, & in quocunq; metallorum genere, & cui Typos excudendi numiſmata Romæ deputatum eſt imperium.

Ioan. Antonius de Rubeis Mediolanenſis.



In ſculpendo figuras concauas, & eminētes, ſiue eleuatas in lapidibus, quos vulgo cameos vocitant, alioſq; lapides precioſos necnon in ferro, calibe, & quolibet metallo eminentiſsimus, ſed in ſculpendis cameis præclarior.

TRACTATVS QVINTVS

DE BIOTHANATIS, HOC EST VIOLENTA MORTE PEREMPTIS.

Hermes Bentiuolus Bononienſis.

232 6

222 6

ANNO

1479

SEPTEMBRIS


D. H. M.

9 21 40 Horol.

9 3 48 P. M.


Vertente Anno humanati verbi 1513 Die 8 Octobris inuictiſsimus Proſper Colũna ductor exercitus Hiſpaniarũ ex vna parte, & Bartholomeus de Alubiano Veneti exercitus imperator intrepidus ex altera, dũ prope Vincentiam vtrinq; milites manus conſererent, multæ hoium ſtrages vndiq; perpetrarentur. Iam tandem milites Venetorum fuerũt debellati. & ibidem Hermes aufugiens, dum vellet fluuiũ Bachilionẽ transfetare, fuit minutatim obtrũcatus ab Hiſpanis. Qđ miſerabile genus mortis denũtiare videbãtur Mars in cardine occiduo prope cor Leonis. Itẽ Saturnus Sol & Mercurius in 8 cœli ſtatione, Lunam in finibus falciferi tetragona radiatione cõmaculãtes, & potiſsimũ horoſcopi directio ad diametrũ Saturni. Vertẽte anno ſuæ ætatis 34 cũ 28 diebus vel circiter, Saturnus horoſcopi ecodeſpotes aduſtus in epycataphora occidui cardinis affirmare videbat.

Hercules de Strozis Ferrarienſis.




Mercurius horoſcopi & culminantis cœli ecodeſpotes in ſuo trono,& contubernio,atq; finibus,fecit ipſum Herculem poetã celeberrimum, in verſibus pręcipue elegis.Ob vulnera multa quę perpeſſus fuerat,claudicabat. Demum ob magnæ mulieris amorem noctu fuit obtruncatus Anno ſalutis 1508 Die 20 Maij,ſuæ autem ætatis 36 cum 8 menſibus vel circiter.

Alexander de Machel ca tyrannus.




Labente anno 1549 sede vacante, suæ vero ætatis 39 statim completo ex directione horoscopi ad □ ♂ furore totius populi fuit infinitis propemodum vulneribus confossus in corpore & capite, dilacerato cerebro. Mercurius horoscopi dominus in cacodemone cum Pleiadibus ad draconis caudam defluens, & gradus nouilunij, stragem dedere horrificam, Iuppiter in octaua domo, sed suo casu, non potuit ipsum tyrannum a violenta morte tueri.

Comes Albertinus Buschetus Ferrarienſis.




Comes Albertinus infœlix, labente anno Virginei partus 1506 Die Saturni 19 Septembris, suæ vero ætatis 56 cum Mensibus 5 Diebus 22 labentibus hora 16 in platea Ferrariæ supra altum tribunal, clausis oculis cum panniculo, fuit bipenni percussus a carnifice in occipiti cęco. Dein confestim decapitatus. Mox auulsis visceribus, & intra magnum vas ligneum positis, fuit in quatuor arctus discerptus, & ante portas ciuitatis affixos, caput autem supra lanceam in turri altissima per multos stetit annos. Illud itidem supplicium perpesi fuerunt Comes Gerardus de Robertis Ferrariensis, & Franciſchinus de Ruberiæ oppidulo, qui erat a secretis Ferdinādi fratris Alfonsi Ducis Ferrariensium, Quoniam plerisq; mensibus machinati fuerant interficere ipsum Ducem, & Ferdinandus neutiquam assentire voluit quatenus horrendum illud facinus perpatrarent, neq; ausus fuit Alfonso Duci palam facere quod illi Comites facinorose machinabantur. Infęlicissimus ille Donnus Ferdinandus fuit in perpetuo carcere clausus, & ibi satis religiosam duxit vitam 30 annorum interstitio, & animam eius ad cœlestem patriam remigrauit.

Comitis Gerardi de Robertis Ferrariensis.



Pleiades,quas caput Medusę seu diaboli vocitant in culmine cœlorum & Saturnus ibidem in finibus Martis,effecerunt ipsum Comitem Gerardũ diabolicum,& stragem ei intulerunt Anno ætatis suę 36 cum 16 diebus vel circiter,& omnia præcise tormentorum genera perpessus fuit, Quæ Comes Albertinus,Francischini de Rubera cõplicis genitura haberi non potuit,quoniam erat ignobilis & ignarus.


Theobaldus de Annibaldis de la Melara.



Fuit capite mulctatus anno Seruatoris 1550 die 20 Septembris, suę vero ætatis anno 34 Mense 7 die 29, horoscopi inambulatio ad fines Martis & Solis, Lunæ, Veneris, nouilunij & stilbontis directio ad tetragonicos radios Falciferi, & Martis. In genitura filij eius, Mars erat in Geminis, Sol in Piscibus, qui se mutua radiatione tetragona inficientes anno secundo vertente obnunciabant violentum necis interitum genitori.


Io. Paulus

Io. Paulus Balionus Perusinus.




Io. Paulus a Thesiphone & Megera exagitatus, & suis peccatis, se contulit ad vrbem, accersitus a Leone decimo labente anno 1520 die 2 Iunij in mole Adriani fuit decapitatus, quod Gauricus tribus annis ante ei vaticinabatur Perusiæ in suis ædibus, ex directione horoscopi ad tetragonam Martis radiationem, anno ætatis suæ 49 fere completo hebdomatico, & ex Luna anni illius regina ad oppositum Saturni natalitij. Item annus radici dissimilis, illud idem denuntiabat.

Hermes de Marsilijs Bononiensis.




Hermes de Marsilijs Bononiensis propter pleraque homicidia ab ipso noctu perpetrata, perpessus fuit plurima brachiorum tormenta, & alios cruciatus acerbos, fuitque decapitatus circa finem annorum suæ ætatis 34. quod denuntiare videbantur horoscopi directio ad Falcitenētis diametrum, & Mars in horoscopo partiliter supputatus, Mercurius ibidem in finibus Martis, & Sol in suo casu, Saturni diametro sauciatus.

Leonardus Regnator, seu Ringadorus Florentinus adolescens formosiss.




Salutaris stella Iouis,& alma Venus sub tertia Lanigeri decuria progredientes in fouea planetarum,horoscopum Iouis domicilium trigonica radiatione suspicientes,Leonardum Regnatorem Florentinum in pueritia & adolescentia effecerunt toto corpore satis eleganter proportionatum, facie rosea decoratum,& Ganymede formosiorem, omnibus affabilem, gratiosum,atq; magnanimum. Verum fortuna nouerca.& cœlorum defluxus pernitiosiores,vtpote Falcifer & Stilbon in sexta cœli statione infausta,partiliter alligati,sub prima Geminorum decuria,& nodus boreus atq; Sol cum Pleiadibus,seu capite Gorgonis atq; Medusæ,& Luna in signo Scorpij,hospitio,& finibus Martis, suoq; detrimento , & potissimum eius directio ad Saturni diametrum,& suum tetragonum. Anno humanati verbi 1534 die 4 Augusti,dum ageret annum suæ ætatis 35 menses 3 cum diebus 5 ,infœlix Ringadorus fuit capite obtruncatus,ad patrios lares exitiosos deductus simul cum profugis,qui,sperãtes dulcem patriam in pristinam redigere auream libertatem,non dubitarunt omnes simul caput obijectare periclis,sed miserrimi irrita spe delusi ad hostiles manus inciderunt,& laqueo vitam terminarunt.

Illustrissimus Marcus Antonius Columna Columnæ columen.




Illuſtriſsimus & Auguſtiſsimus Princeps Marcus Antonius Columna olim Imperatoria Maieſtate verendus, orator facundiſsimus, in Mathematicis diſciplinis pręcipue Arithmetica, Geometria, & Proſpectiua celeberrimus, dū̃ eſſet Venetiani exercitus Imperator in ciuitate vere vna, quam Veronam appellant, in humero dextro fuit ictu ſcloppi vulneratus, ſed optimi chyrurgi ſolertia liber euaſit. In duellico autem conflictu Gallorum & Hiſpanorum, extra ciuitatis Rauennæ mœnia vtrinque circiter duodecim milia equitum atque peditum truculentam ſtragem perpeſsi fuerū̃t, & Prorex exercitus Gallorum cum 16 militum ductoribus interīȷt. Sed iam tandem fugatis Hiſpanis, Galli ſuperſtites victoria potiti Rauennam depopularunt. Inclitus vero princeps Colonnenſis abſq; iactura, cum honore maximo tutatus fuit Arcē, & ſingulos milites ſuos. Poſtmodum quibuſdam interīȷectis temporibus, electus ductor exercitus Regis Francorum in obſidione Arcis Mediolanenſis, ictu machinæ tormentalis in tibia ſeu poplite ſauciatus, diem ſuum obīȷt nouiſsimum, agens ætatis annos 44 menſes 6 & vnum diem. Quod portendere videbatur horoſcopi directio ad □ ♂ & ex ♄ ☉ ☿ pariter collocatis in octauo natalitīȷ ſchematis contubernio, vertente anno ſalutis 1523 Calē. Martīȷs.

Mutius Columna.



Inuictiſsimus ille Mutius Columna labente anno ſuæ ætatis 37, ictu bombardç, quam Ruſticus quidam in ciuitate Phani traijecerat trãsfoſſus, (crure obtruncato) illicet animam exhalauit. Quod truculentæ ſtragis genus nefandum denuntiabant Mercurius horoſcopi dominus in cacodemone Martis & Lunæ tetragono intuitu ſauciatus, & Sol cum Saturno in ſchematis natalitij horoſcopo platice collocatus, & Luna cum pleiadibus Martis diametro ſauciata licet fuerit in ſuo trono a Venere irrorata.


Comes Ludouicus Mirandulæ dominus.



Ludouicus Mirandulæ Comes ab Alfonſo Ferrarienſium Duce electus equitum ductor, dum intrepidus ſecus aggerem Eridani fluminis ad quartum lapidem a Ferrariano municipio ſupra magnanimum ſonipedem vellet quandam trãſendere ripam, ictu tormẽtalis machinæ a triremibus Venetorum compulſæ, infœlicisſimi Comitis caput fuit ab humeris conuulſum, iacuitq; in littore truncus ſuæ ætatis anno 54 cum menſibus 3 diebus 5 vel circiter, quando horoſcopus ſui natalis a maleficis obſeſſus & Sol ecodeſpotes per debitum Atazir deuoluti ad partem mortis & quadratum Martis peruenerant.

Federicus


Federicus Benalius Mantuanus.



Federicus Benalius erat gratiosus Francisco Mantuanorum Marchioni inuictissimo, cuius munere fuit ditissimus agri, habebat magnificas ędes, vxorem venustam, ex qua vnicum suscepit filium. Venus, Luna, & nodus boreus in finibus Tauri, in adolescentia effecerunt illum venustum, & mulierosum. Ante 30 suæ ætatis annum morbo gallico conflictabatur, Luna horoscopi regina, quin & Venus ad Solis coitum properantes, & Mars sub Aquarĳ sidere humano in occidui cardinis epanaphora. Item horoscopi progressio ad heptagonam Martis radiationem, & Solis directio ad quadratum Falciferi intuitum Anno ætatis suæ 38 cum duobus mensibus, diductis 18 diebus eidem Benalio necem intulerunt atrocissimam. Mortuo siquidem Marchione eius patrono dũ viueret patrocinatore, ab inimicis fuit multis vulneribus confossus, & abscisis testibus, & pene erutis oculis, confractisq; dentibus, trucidato minutatim corpore, anima eius ad inferos nauigauit.


Anno 1520 Iulio 17 die, suæ vero ætatis 38 mense 1 die 12 horoscopi directio ad quadratum Martis deuoluebatur, quando fuit dilaceratus.

Francisci Roſcij Rauennatis.




Franciſcus Roſcius quoniam erat ſcriptor egregius, a ſuis Rauennatibus fuit electus Orator ad Leonem X. & in vrbe ſecus põtem Sancti Angeli ab inuidis hoſtibus perpeſſus fuit duo vulnera in capite, & totidem in ſiniſtro crure, ſiniſtraq; manus obtruncata, loco cuius alligata fuerat manus ferrea, Quæ mala denuntiabat horoſcopi directio ad quadratum Martis anno ſuæ ætatis illicet completo 42. Verum in calce anni 51 Mars in 11 cœli ſtatione ſub Sagittarij aſteriſmo, & ſex planetæ intra occiduum cœli cardinem, & epycataphorã, & horoſcopi inambulatio ad oppoſitum Saturni, ſibi ſtragem ſanguinolentam dederunt, dum vellet transfetare Panaram fluuium non ſatis diſtantem a Mutinenſi ciuitate.

Lactantius Rocholinus Aretinus.




Erat alearum & taxillorum lusor maximus & fortunatus anno 1530 Iunio 13, suæ vero ætatis 29 cum duobus mensibus effluxis fuit sibi obtruncata manus sinistra, quoniam alapa cursorem percussit in facie. Iura postulabant vt obtruncaretur ei dextra, sed potentiorum patrocinio, & de gratia speciali abscisa fuit sinistra, gestatq; manum ferream chirotec a copertam, ex Lunæ ad Martis fines progressione.

Franciscus Castelli de Rio dominus, Cardin. Papiæ Reuerendiss.



Franciscus Castelli de Rio dominus, Papiæ Cardin. erat statura procerus, & toto corpore proportionatus, & niue candidior, lætus, venereus, affabilis, Iulio II. Pont. gratiosus, cultor iustitiæ, virtute præditis munificentissimus, reprobis autem hostis acerrimus, tamen ad lauta conuiuia, & Venereas voluptatum illecebras admodum procliuis, sed alearum & taxillorum ludos neutiq; postergabat. Qui dum ageret legatum in ciuitate Felsinea, Bentiuoli vnius lustri interstitio exules accersiti ab amicis noctu ingressi fuerunt Bononiam per portam Sancti Fœlicis. Vnde infœlix ille Cardin cum Guidone Vayno, & paucis militibus illum comitantibus, coactus fuit arripere fugam, & tota nocte cum equo velocissimo Rauennam aduentare, vbi circa horam prandij defatigatus, & semimortuus, & a nemine suorum adiutus, repente a Francisco Maria Vrbini Duce intrepido confossus fuit 16 vulneribus, quocirca (duce prudentia) non potuit stragem effugere sanguinolentam, quam ei portendebant Sol horoscopi dominus in fouea planetarum cum Mercurio sub Scorpij venenigeri asterismo collocatus horoscopum, & occiduum cardinem, tetragono intuitu infectans, quin & nodus boreus cum Marte in epanaphora cœli porta superna tetragona etiam radiatione suspiciens, & deniq; horoscopi inambulatio ad Martis diametrum deuoluta anno ætatis suæ 43. mense 7. die 20. vel circiter, vitam cum morte commutauit.

Frater Constantinus Cæeæ in sulæ episcopus.



Insula Coricijs quondam celeberrima Nymphis
Cingitur Aegeo nomine Cęea mari.

In conuersione anni 1546 Sol erat quadratum Martis vulneratus, Venus & Mercurius combusti prope Saturnum thematis natalitij non procul a Pleiadibus.

Mars & Sol in horoscopo cum capite Algol seu Medusæ & Pleiadibus partiliter supputatis, faciunt ita genitos laqueo vitam terminari.

Quidam vir reprobus habuit Martem & Solem in culmine cœli cum Pleiadibus, & fuit suspensus.


Monachus ille Constantinus nomine, anno 11 suę ætatis cęcidit intra torrentem, Anno 1511 mēse Maio factus fuit monachus. 1538 Octobris 28 carceratus & condemnatus vt concremaretur, quoniam præparare statuerat veneni pocula quibusdam potentibus viris, sed patrocinio Dominæ Constantię Farnesiæ fuit liberatus e carceribus, & ignea internitione. Anno 1540 Augusto 27, fauore eiusdem Farnesię fuit electus episcopus Cęcę insulę, & Septembri consecratus.

Item 1546 Iani 8 nocte sequenti circa mediam noctem dum ire volebat ad quandam mulierem nobilem cum anulis in digitis, & catena aurea in collo, fuit interfectus non procul ab ecclesia Sancti Marci in Vrbe, & bonus ille vir qui eum iugulauit, nihil ei abstulit.

Horoscopi directio ad quadratum Martis terminum Falciferi. Item Sol cū Pleiadibus, Saturnus & Stilbon in finibus maleficarum stellarum, & cœlorum culmine. Venus in finibus Saturni mortem illam occultam intulerunt. Iuppiter in octaua domo, quam Arabes morti deputabant (licet in suo domicilio, sed Martis finibus) non potuit illum sacrilegum a morte violenta seruare incolumem.

Frater


Frater Raymundus ordinis Celestinorum.




De huiuſcemodi ſceleſtiſsimorum hominum morte meminit Ptolemæus Aphoriſmo 75 ſic, Quum Mars aſcendentis domino coniungitur in Leone, nec Mars aliquam in aſcendente prærogatiuam habuerit, nec benefica in octauo loco fuerit, qui ſic natus eſt, exuretur.

Gauricus vidit pleroſq; ſic habentes Martem & Solem in Leone, ex fulgure, vel igne, aut epydimia morti occubuiſſe.

Frater Raymundus ordinis Celeſtinorum labente anno ſalutis 1508, Calendis Aprilibus, hora 14, in tribunali ligneo alto fuit expoliatus ſacris ordinibus, iuſſu Cardin. Papiæ tunc Legati in ciuitate Felſinea, Die vero ſecunda eiuſdem menſis, a trabe ſublimi triſte pependit onus, & confeſtim concrematus, quippe qui ob amorem cynedi perpatrare non dubitabat facinora inaudita, quoniam ſtatuam Chriſti ligneam tota nocte tenebat in ſua cellula cum pedibus ſurſum alligatis, & pendulo capite, eamq; ſæpius flagellis percutiebat. Quin etiam multas cōſecrabat euchariſtias, quas partim dabat Gallo comedendas, partim vero intra ſartaginem in oleo ebulliente proijciebat vt exurerentur. Quocirca ipſe profanus merito dignus fuit laqueo ſuffocari, & igne concremari anno ſuæ ætatis 26 menſe 8 die 10.




El Pretino cognominatus vulgo Luchensis, latronum princeps Max.




Ille latrunculus latronum Maximus cum scala ex lino, aut cannabe contexta, noctu conscendebat atria, siue domos potentiorum, & in aliquo angulo latitabat, donec ei accidisset aliquid furto surripere. ipse anno ætatis suę 31 ad furcas deductus fuit, non autem suspensus, sed in cauea positus, & inde aufugit. Postmodum anno suæ ætatis 37 cum 15 diebus, vtpote 1548 Aprili supra pontem Sancti Angeli suspensus fuit cum capistro deaurato.

Traianus Martinengus Brixianus.




Traianus Nerone crudelior anno 1527 Februarij die 16 hora 7 noctis illicet sequentis transcendit muros ruris suburbani, circundantes domum Vlyssis fratris germani, quem interfecit simul cum duobus nepotibus, sperans succedere opibus fraternis, Sed impius ille Traianus non multo temporis interstitio post fuit decapitatus Brixiæ. Sed hospitator ; domus quam genethliaci fratribus deputarunt in culmine cœlorum Martis tetragono vulneratus fuit potissima causa tanti sceleris nefandi.

Vlysses Martinengus Brixianus.




Vlysses Martinengus Brixianus a Traiano fratricida fuit iugulatus anno humanati verbi 1527 die 16 Februarij, circa dimidiam noctem, suę vero ætatis anno 21 cum 20 diebus, quādo horoscopi & Solis progressiones peruenerant ad quadratū Saturni, Martis, & Solis in themate natalitio, & huius horoscopi ecodespotes erat Falcitenens sub Leonis astro cum Marte, & Cauda in cardine occiduo peregrinus, & Mars Solē diametra radiatione iaculabatur.

Brachinus Mantuanus Leno maximus matronarum.




Brachinus lenonum maximus nobilium mulierum, & scelestissimus, fuit forpice adunca dilaceratus, postea a quatuor equis in quatuor arctus dilaniatus.

Baldassar de Rubeis Veronensis, sed natus Patauij



Alma Venus, & salutaris stella Iouis sub Leonis Asterismo, horoscopũ circundantes Baldassarem de Rubeis patricium Veronensem in pueritia, & adolescentia effigiarunt Narcysso, & Ganymede formosiorem, sed muliérosum, candentis, flauiq; coloris, toto corpore eleganter proportionatum, animosum, intrepidum, atque magnanimum. Nihilo tamen minus anno ætatis suæ 19 cum mensibus 9 diductis 8 diebus, Christianæ autem lyturgiæ anno 1525 die 24 Februarij, infœlix adolescens fuit ab Hispanis militibus scloppo interfectus prope mœnia Papiæ ciuitatis, & dũ vtrinq; bellum gereretur, & manus confererent, etiam Franciscus Gallorum Rex christianissimus a plerisq; suorum militum ductoribus pene solus derelictus, ad inimicorum manus peruenerat. Quod Gauricus in vrbe Veneta multo ante adamussim prædixerat.


Ioannes Fontana quondam filius magistri Iuittæ sutoris Brixiani.



Horoscopi ad quadratum Martis anno ætatis 33 mense 6 die 19 circiter, Christianæ vero salutis 1545 die Iouis 16 Aprilis, intulit illi mortem subitaneam. Genuit tres liberos superstites, prima fuit filia, secundus masculus, tertia filia ingeniosa. Alexander germanus frater est ingeniosus, & legum professor, & astrorum non ignarus.


Comes

Comes Hieronymus de Pepulis Bononiensis.




Mars in Veneris domicilio a Saturno hexagona radiatione illustratus efficiebat ipsum intrepidum manu prõptum, pauperes absq; causa pugno, seu alapa percutiebat. A Venetis factus fuit militum moderator, & dux, in ciuitate Brixiæ, & ibi anno 1551 die 9 Septembris repente interiit, suę autem ætatis 57 anno completo, ex directione horoscopi ad quadratum Saturni. Luminaria item in finibus maleficorum planetarũ fecerũt ipsum aliquantisper luscum. Saturnus in quinta intulit Tadeo filio mortẽ ictu trium sclopporum in Germania, Annibali ex papulis ardentibus Boniæ solo natali.

Marchionus de Manzolis Bononiensis.




Iuppiter in imo cœli, locus Fortunæ in horoscopo, Sol & Iuppiter horoscopum fœliciter irradiantes dederãt ei circiter septẽ milia aureorum de prouentibus, semper ludebat ad aleas & taxillos, & exponebat in ludis maximam ducatorum congeriem contra illos, qui ludendo secum certare volebant, Luminaria a Saturno epthagona radiatione sauciata, & Pleiades in culmine cœlorum, & Venus quadrato Martis intuitu fuerunt in culpa, vt noctu fuerit obtruncatus, & multis vulneribus confossus, eiusque cadauer iacuit tota nocte in cœno prostratum.

Comitis Lelij de Manzolis Bononiensis.




Saturnus in suo detrimento, & Mars in suo casu sphęraliter collocati in cardine occiduo, & horoscopi inambulatio ad diametrales Martis radiationes, Comiti Lelio adolescenti violentam mortem portendebant Anno suæ ætatis 16 cum mensibus 10 subductis 8 diebus, quippe qui dum in hastiludio certabat cum quodam adolescente de Gozadinis sibi coæqueuo supra plateam Bononiæ, lancea illius concurrentis penetrauit per armillam ęneam Lelij ab oculo vsque ad occiput, perforato cerebro, seu capite, & infœlix Comes Lelius repente internitionem degustauit, quod admodum omnibus displicuit.

Baptista Baliosus Bononiensis.




In hoc schemate natalitio Sol in Martis hospitio, & Mars in Solis contubernio se mutua radiatione tetragona vulnerantes. Item Lunæ & horoscopi directio ad tetragonam Falciferi radiationem deuoluta, anno 39 suæ ætatis labente, sibi lethalia vulnera intulerunt, quippe qui nocturno tempore fuit ab suis hostibus minutatim fere obtruncatus.

Marcus Antonius Barzellinus Bononiensis.




Erat facie pallidus, staturę mediocris, vsq; ad 24 suę ętatis annū fuit imberbis, & singula fere corporis membra erant glabra, mulierosus, libidinosus, ex Venere in signo virginis, habuit duas sorores, & totidem fratres natu maiores mauortios, qui, vti colligitur ex Luna Martis diametro vulnerata, in duello prope Vincentiam fuerunt a machinis tormentalibus dilacerati. Ipse etiam Marcus Antonius adolescens intrepidus, noctu plerosque interfecerat homines, vnde in carceres detrusus, ter decies brachiorū tormenta perpessus, voluit potius fieri martyr, q̄ confessor, & liber e carceribus, contulit se ad suū rus, & reuersus ante hostiū suę domus, ipse & equus cecidit, & in pariete e capite contuso, cerebrum emanauit, & repente animam exhalauit.

Ioannes Franciscus de Galutijs Bononiensis.




Ioannes Franciscus de Galutiorum familia olim nobilissima, in adolescentia fuit candenti vultu, sed mulierosus, & effœminatus, Qui ex præcipitio aut vulnere ei illato in crure dextro claudicabat. Sed labente anno suæ ætatis 41, a quodam Siccario Ferrariæ noctu fuit obtruncatus. Arbitrabatur enim perfidus ille homicida post obitum Io. Francisci impetrare beneficium Massumaticũ, quod semper fuit de iure patronatus Galeatij de Galutijs sui genitoris. At illud beneficium siccarius ille nequiuit impetrare, quippe qui vnus ex Galutijs iure optimo illud beneficium de iure patronatus iura tuetur.

Camillus de Marsilijs Bononiensis.




Camillus de Marsilijs obijt ex morbo Gallico admodum venenoso, quippe qui penem, obscenas partes, & viscera omnia deuorauit. In quorum genituris Luna & Hermes nulla seinuicem radiatione conspiciunt, & neuter horoscopum, vt hic, efficiuntur reprobi cataces, & omni prorsus ratione carentes, & vbi plurimum de fortuna, minimum de ingenio.

Alexander de Marsilijs Bononiensis.




A lexander de Marsilijs frater germanus Camilli fortasse conscius scelerum dum pulsabat cheli testudinea obijt repente anno ætatis suæ 24 mense 9 diductis 4 diebus, ex directione horoscopi ad quadratum Martis intuitũ, & Solis ad Falciferi tetragonam radiationem.

Marcellus de Marsilijs Bononiensis.




Sol in quadrato Saturni per orbem, & Marti platice alligatus, & Venus in corde Solis fecerunt Marcellum cecutiētem, luscum, & deformem atq; homicidam, ex Sole & Marte sub Geminis signo humano in occidui cardinis epanaphora. Fuit interfectus Bononiæ anno suæ ętatis 29 cū 5 mēsibus humanati autem verbi 1523 mense Octobri. Agesilaus frater ex epydimia obijt in vrbe. Hermes frater vltimus horum, decapitatus Boroniæ.


136 36
226 36
ANNO
1477
DECEMBER
D. H. M.
30 9 30 N. S.

♄ ☽ □
♃ ♂ ☍
♃ ☉ □
♃ ♀ ✶
♀ ☿ ✶

Ioannes Gozadinus Bononiensis olim patricius legum doctor ab Iulio II. Pont. Max. in vrbe fuit creatus Datarius, Dein gubernator Regij. quæ ciuitas est Insubriæ sub Serenissimorum Ducum Ferrariæ dominio, in qua quum multis mensibus potiretur imperio, iam turpis facie & obslongus, volebat pulchras virgines, & matronas venustas habere in delitijs, & noctes atq; dies amplexari, earumq; maritos pilifaciebat. Quocirca die vltima Decembris anni 1517 in Prætorio post prandia cum maximo totius populi furore fuit gladijs & pugionibus confossus, & frustillatim perforatus, simul cum suis famulis qui secum aderant. anno ætatis suæ 40 illicet completo, veluti colligebatur ex Saturno sub erigones asterismo per summum cœli apicem progrediente, & Lunam tetragona radiatione sphærali commaculante, & ex Marte horoscopi domino in cacodemone, Iouem in sexta cœli statione pigra hostiliter inficiente, & potissimum ex directione ortiui cardinis ad tetragonum Falciferi intuitum, & ex Cauda Draconis Veneri in imo cœli templo partiliter alligata.


Petrus Aloisius Farnesius Romanus Pauli III. Pont filius naturalis.



Petrus Aloisius olim filius naturalis Pauli III. Pont. Maximi dum erat Cardi. Farnesius, & Marchię legatus, electus moderator ciuitatis Placētinæ, intra illius arcem, post prandia, indulgens genio, cupidineisq; voluptatibus, tribus duntaxat adolescentulis formosis comitatus in aula, repēte ex improuiso a plerisq; suis hostibus intra suum cubiculum irruentibus multis vulneribus confossus, atq; trucidatus interijt. Dein in fenestra illius cameræ eminentiore fuit cum vno pede sursum alligatus, capite deorsum pendulo, vt conspiceretur ab vniuerso populo, postmodum fune obtruncato, putridum illud cadauer in cœnosa tellure prolapsum, fuit lapidum aggeribus pene obrutum, atq; conclusum, confractis dentibus, raptisque auribus, populatisq; temporibus, abscisis testibus, atq; mentula sesquipedali. Sed iam tandem die statim sequente, funus illud cœnosum Illustrissimus Ferrandus Gonzaga subhumari iussit. Illud miserabile, & pene inauditum stragis interitum denuntiare videbantur, atque dederunt Mars horoscopi ecodespotes in suo casu, Venerem sub Capri sidere supputatam infectans, & Falcifer in suo detrimento per foueam planetarum repedans, & deniq; Sol & Luna in porta cœli superna occidui cardinis epycataphora, & quod potissimum fuit, sua peccata.


Lento etenim gradu Diuina potentia pœnas
  Infligit miseris, supplicijq; moram
Compensat grauitate reis, sed poplite flexo
  Votis ac precibus flectitur ira Dei.

Apollonius Petri Aloisii secretarius & Leno.



Erat turpis, niger, crinesq; habebat nigros & crispes tanquam Aethiops, oculo sinistro cecutiens, siue luscus, perfidus. Anno 1547 decima die Septembris fuit carceratus, & brachiorum torturis, & sub vtriusq; pedis plāta ignitis cruciatibus conflictatus. De ipsius internitione nil certi circunfertur, nihilominus reputatur sepultus viuus in fouea carceris tenebricosi, eiusq; anima nefanda lenociniorum pœnas atroces luit apud tartareos lacus.


Quidam Nauagerius Venetus patritius.



	A.	M.	D.	
Obrutus in aquis	17	30	0	ætatis.

Naufragus interiit piscibus esca miser.
Nec mortem timeo, genus est miserabile mortis
Demite naufragium, mors mihi munus erit.

Magiſter Sebaſtianus de la vetere.




♄ ♂ △ per orbem
♄ ☽ △ ſphæraliter
♂ ☽ ☌ partiliter
☉ ☿ ☌ platica.

❡ Mercurius & Luna nulla erant radiatione coniuncti, & ne uter horoſcopum intuebatur.


Magister Sebastianus de vetere, medicus, philosophus, in disputationibus perspicacissimus, Romuleo in Gymnasio philosophiam publice profitebatur, erat tamen importunus, temerarius, & vir terribilis. Tempore Leonis X. Pont. Augustissimi interfecit cognatum, quippe pollicitus fuerat in nuptijs modicas facere expensas, sed ille cognatus fecerat lautissimas, quas cum ipse demoniacus Doctor noluisset tam magnas facere impensas, intrepidus interemit cognatum, & fugam arripuit. Demum paucis interjectis mensibus mentecaptus, fuit etiam ipse iugulatus extra vrbem. Eius vero genitricem intra proprias ædes interfecit simul cum ancillula Britonus quidam nomine Desiderius Lycaonius homicida, qui confessus fuerat interfecisse plerosq; viros in nemore Bacchani, & intra vrbem Romuleam 60 matronas cum pugione acutissimo, cum quo etiam carnifex effodit ei oculum dextrum. Dein ante ianuas illarum quibus cerebrum perforauerat, cum forpice adunca ignita passim dilacerabat carnes eiusdem homicidę Lichaonij. Vltimo ante fores Sebastiani, intra quas geminum perpatrarat homicidium, bibit vrceum meri Falerni plenum. Post illam bibitionem carnifex cum acuta bipenni illico obtruncauit ei manū dextram. Tandem in campo Flore aperuit illi pectus, vnde cor ei extraxit, viditq; illud fœminicida crudelis, & extemplo anima eius scelestissima ad tartareos lacus nauigauit, in quibus pœnas dabit atrocissimas perēniter, & in secula seculorum.

Rentius Acerrę princeps, Mauortius heros
Vrsinus, gentis gloria Romuleæ.




Vertente anno Christianæ lyturgiæ 1536 Februarij 11 die, ætatis autem suæ 60 cum 2 mensibus, cupiens vt sonipes fere Alatus saltu transcenderet latum aggerem, nequiuit, & cadens simul cum ipso Rentio equite, sella rupit illi pectus, siue costas, & confestim obijt.

Hieronymus Vrsinus Romanus.




Hieronymus Vrsinus Ioãnis Iordani filius ex Fœlice genitrice doctissima in poetica & philosophica facultate, pulcherrima, & pudica, erat caluus, intrepidus & temerarius. Napulionem fratrem, non tamen vterinum interfecit incautum. Horoscopi directio ad quadratum Saturni anno suæ ætatis 6 intulit ei ægrotationem chronicam. In ætate prouecta duxit in vxorem neptem Pauli III. ex qua suscepit vnicum filium superstitem. Anno salutis 1540 die 3 Nouembris nocte sequenti, suæ vero ætatis 27 cum 4 mensibus diductis 3 diebus in vrbe solus ante ædes pulchræ puellæ fuit vnico vulnere sauciatus in capite, & paucis interiectis diebus in quodam suo oppido interitum expertus fuit.

Napulionus Vrsinus Romanus.




Napulionus frater Hieronymi ex parte patris, nõ aũt vterinus, a quo fratre iniquo fuit interfectus. Ante huius interitum multotiens cecidit ab equo cum maximo mortis discrimine. quod decernebant quinque planetæ in Sagittario quadrupede signo, & Falcifer in Leone, Lunam diametra radiatione inficiens.

Alexander Medices Florentinus.




Falcitenens horoſcopi ecodeſpotes per nonam cœli ſtationem repedans, in Martijs finibus, & Mars per ſummum cœli apicem progrediens, Solem in horoſcopo platice ſupputatum tetragona radiatione mutua infectans, Venus in cacodemone, & Pleiades in fouea planetarum, & deniq; horoſcopi inambulatio ad quadratum Martis deuoluta, dum Alexãder Medices primus Florentinorum Dux ageret annum 25, vno duntaxat menſe diducto, fuerunt potiſsima cauſa, vt Dux ille infœlix noctu fuerit iugulatus a Laurentio Medices conſobrino a Theſiphone, Alecto & Megera exagitato. Dein Alexander erat in literis Latinis, Græcis, & philoſophia non ignarus.

Laurentius Medices Florentinus.



Laurentius Medices noctu iugulauit Alexandrum cõſobrinum 1548 die 26 Februarij, Qui quoniam poſt paricidium non potuit liberare patriam a tyrannide, & in priſtinam libertatem auream redigere, aufugit, & ad vrbem Byzantij nauigauit, poſtea Venetias remigrauit, & in vicinia ſancti Thomæ circa veſperas fuit obtruncatus, & quidem merito, quoniã Qui gladio ferit, hunc enſe perire decet.

Ioanninus Medices Florentinus.




♄	☉	☌	
♄	☽	☍	
♃	☿	□	per orbem
☉	☿	☌	platica
☉	☽	☍	
☿	☽	☍	

Ioannhinus Medices Italici exercitus ductor intrepidus, contra milites Alemanos bellum gerens, in agro quodam Mantuano, dum ageret suæ ætatis annum 28 menses 8 statim completo, vel circiter, Christianæ vero salutis 1526 die 3 Decembris ictu tormentalis machinæ fuit vulneratus in tibia dextra, tota fere abscisa, quā illico secari iusserat. sed paucis interiectis horis ex spasmo vitam cum sanguine fudit. Illud truculentæ stragis acerbissimum genus denunciabāt Solis directio ad Pleiades caput quippe Diaboli, horoscopi ad quadratum Saturni sub Geminorum signo humano. Item debilis Archas adustus atq; repedans in finibus Martis, Falci tenens in suo casu combustus, quin & Iuppiter in suo casu stationarius, & deniq; Luna, Solis, & Saturni diametro vulnerata, nodus austrinus in sexta cœlorum statione supputatus, ab hijs omnibus cœlorum influxibus p̄nitiosis procul existentibus beneficarum stellarum radiationibus, atque congressu.


Puer

Puer deuoratus a lupis famelicis.



Puer deuoratus a lupis insatiabilibus prope Bononiam ad tertium lapidē, quod denuntiare videbantur Stilbon horoscopi,& culminantis cœli eco despotes adustus a Sole, & a maleficis vulneratus, & quod potissimum fuit, Solis inambulatio ad quadratum Martis,& horoscopi ad epthagonam eiusdem Martis radiationem,quarto ætatis suæ anno vertente, Venus in octaua cœli statione,& suo hospitio,& Iuppiter in Libra, Mercurium trigonica radiatione sphæraliter irradians, non fuerunt tanti uigoris,vt infœlix ille puer agricolæ filius non fuerit luporum profunda vorago.

Antonius Galeatius Bentiuolus Bononiensis.



Filius Ioannis Bentiuoli protonotarius interijt ex epidimia Romæ.

♂	☉	☌
♄	☽	□
♂	☽	□
☉	☽	□
♄	♂	☍
♄	☉	☍


TRACTATVS SEXTVS

DE AZEMENATIS, HOC EST IN ALIQVO CORPORIS MEMBRO VITIATIS, SEV MVTILATIS.




Azemena uocabulum est Arabicum, Latine uitium, siue ægritudo, a corpore inseparabilis, ueluti gibbositas, claudicatio, cæcitas, surditas, mutitas.

Annibal Raimundus Veronensis.




Annibal Raimundus Veronensis patritius in sua adolescentia cursitando, & saltando erat velocior ceruo, animosus, intrepidus, magnanimus, imo ab ineunte pueritia semper studiis literarum nauauit operam, & media inter prælia, pronus stellarum, cœliq; plagis, superisq; vacauit. In rei militaris disciplina electus sæpenumero multorum militum Ductor, claros sortitus honores, non sine multorum odio, ob inuidiam, pleraque perpessus ab equis pericula. Veruntamen labente anno salutis 1521 in coxa dextra fuit atrociter vulneratus, vti colligitur ex Marte cum nodo austrino, & Saturno horoscopi domino in epycataphora cœli porta superna. Item anno 1524 vertente cum lapide quadrato, siue latericio aperta fuit ei commissura capitis. Præterea 1525 bis carceratus, perpessus fuit brachiorum tormenta, non sine vitæ periculo. Item 1527 carceratus, dein profugus fuit, & bis passus papulas ardentes. Sed iam tandem ab Anno 1525 vsq; ad 1530 versatus est in rei militaris disciplina, & illa tempesta te degustauit ex scloppo vnum vulnus in crure seu tibia, & alterum in sinistro brachio. Anno 1531 carceris incommoda, & exilii, sed tãdem euasit incolumis. Item 1538 sauciatus in tibia sinistra fere obtruncata, & in poplite, brachio sinistro, & cubito. Item chronicis ægrotationibus conflictatus fuit ad calcem vsq; 1540 cum maximo vitæ periculo. Nihilominus alma Venus, & iuuans pater, fœlix quippe stella Iouis sub Virginis astro humano in octaua cœlorum statione, quam Arabes & Babilonii mortibus deputarunt, non perpessi fuerunt præfatum Annibalem fuisse biothanatum, sed naturali morte interiturum vertente anno suæ ætatis 80 cum dimidio extra natale solũ inter Amicos. Si forte duce solita prudentia, & bono regimine superauerit insalubres annos suæ ętatis 70 73 75 79. Temporibus item elapsis multos habuit inimicos, & iurgiorum contentiosa certamina. Amicorum gratia & mulierum, a quibus lucrorum copiosa præsidia, potiusq; dispendia consecutus fuit, & cum eis habuit geniale consortium. erga amicos munificus, licet nõ satis pecuniosus, contra seruos præsefert odium, siue inimicitiam propemodum inuitus. Quamq; suapte natura sit cholericus, nihilo tamen minus duce prudẽtia didicit iram frenare, Parcere subiectis, & debellare superbos. Imputatum fuit sibi plerunq; aliquod perpatrasse homicidium, & hac de causa sępenumero brachiorum torturas perpessus fuit atrocissimas. Ipse autem non denegat se in pręliis pleraq; perpatrasse facinora, & quorundam strages, sicuti contra hostes accidere consueuit.

Achilles Balugula Mutinensis.



Ex Mercurio in Geminis suo hospitio ad Veneris ortum progrediente, erat elegãs scriptor, diues, locuplex, sex gibbosus, strumosus ante & post, portentosus, instar testudinis, pectus erat altius mento, & caput intra mentum & gibbum veluti intra sellam, corpore nanus, nasutus, facie deformis, draucus, asellus, pedico maximus, loquacissimus.


Frater Honoratus Monachus Sancti Pauli.



Frater Honoratus orator facundus, didicit rudimenta græcarum literarũ a Pomponio Gaurico, habuitq; eius libellum. Autumant pleriq; ipſum a primis cunabulis natum fuiſſe gibberum. ipſe autem affirmat anno ſuæ ætatis 13 menſe 3 die 16 cecidiſſe ab alto, & læſus in humero ſiniſtro factus fuit gibboſus.

Anno 17 circa initium factus monachus Sancti Pauli, & paulo poſt exigebat prouentus ſui monaſterij, & degens extra regulam, electus fuit epiſcopus a Iulio III. Pont. Max.


Alemanus Lipsiensis vtroq; oculo orbus.



per orbem ♄ ♃ ♂ ♂ ♂ ♃ ☿ ☉ ♀ ☽ □ ✶ □ △ □

Donnus


Donnus Iulius Estensis.






Effossi fuerunt oculi eius cum stilo ligneo acuto, dum esset in venationibus: sed illos pendentes supra nasum proprijs manibus in suis locis adaptauit, sinister transuerso ordine interpositus, eius aciem amisit: vixitque 36 annos in carceribus, & ibidem morti occubuit.

Mag. Fantinus Cornelius Venetus.



♄ ☉ ☍ oculi dextri aciem hebetauit.


Monachus Hispanus Tyresias.



♂ ☉ □
♂ ☽ ☍
☉ ☽ □

Vtroq; lumine orbus a natiuitate, loquacissimus, alter Homerus circa orbitatem, seu Tyresias.

Iacobus de Panico Patauinus seu Bononiensis patricius.



Ille Iacobus, & sui natu maiores ex stirpe olim Bononiensium, sed incolæ ciuitatis Patauinæ fuerunt iam diu. Iacobus erat corporatura proportionatus, facundus, facetus, elegans, Geomantiæ eruditus, li cet fuisset pene orbus vtroq; oculo, semper gestabat vestes albas. Sol cum stellis nebulosis prope nodum austrinum, & cum Mercurio in finibus Falciferi, effecit ipsum fere orbum vtroq; oculo. Obijt anno 1548 verrẽte. Hieronymus frater eius prorsus lumine cassus est poeta elegans, & in pulsanda cheli & organo egregius.


LIBRI LATINI PER FRATREM. LEANDRVM EDITI

Ephemerides Latinæ ab aduentu Ludouici Regis Franciæ ad hanc vſque diem.
Opuſculum de obitu, & ſepultura Diui Dominici dicatum Iulio III. Pont. Max. dum erat in minoribus Bononiæ Gubernator.
De Viris Illuſtribus ordinis Prædicatorum libri tres.
Aliqua commentaria Hiſtoriarum Caroli Ducis Burgundiæ.
Vita Ioannis Bentiuoli II.

IN LINGVA VERNACVLA.


Libri 62. Hiſtoriarum Ciuitatis Felſineæ, incipiendo ab reſtaurata per Theodoſium fundatione vſq; ad 1543.
Deſcriptio totius Italiæ, & Inſularum, dicata Regibus Francorum.
Edidit quoq; multos libros in vtraq; lingua.
Quos foret hic magnus connumerare labor.

Vincentius Laureus.




Vincentius Laureus, natus Tropeæ in Calabria, cuius latitudo est gradus 38. studuit in Gimnasio Patauino, & doctoratus fuit, estq; Orator, Poeta, Philosophus, Physicus, Mathematices disciplinæ eruditus, & in Græcis literis doctus, memoriæ profundissimæ, barbitium gestat nigrũ, mediocris staturæ, sed bene proportionatus, factus est diues, ab omnibus honoratus, dixit se vsq; ad 28. suæ ętatis annum ægrotasse, nunq̃. Anno 1542. Iunio 28. die Mercurij, Romæ fuit a Tauro cum cornibus in altum sublatus citra ullam noxam.

Ioannes Baptiſta de Benedictis.



Ioannes Baptiſta de Benedictis in Vrbe Veneta natus, & educatus a ſuo genitore Hyſpano Philoſopho, & Phyſico, anteq̃ 18. expleret ſuę ętatis annum euaſit Phyloſophus, Muſicus, atq; Mathematicus. Et hanc cœleſtem figuram ipſemet ſupputauit.


Franciſcus floridus Sabinus Orator & Poeta celeberrimus.



Erat tota corporatura formoſus, alacri vultu, Iliada Homeri tranſtulit in carmine heroico elegantiſsime. Ex veneni potione, & diſſenteria obijt Pariſiis, quod Lunæ deliquium prope ſui natalis horoſcopum denuntiare videbatur.


Philippus

Aurelius Vergerius Iustinopolitanus.



Erat doctus in poetica facultate, plerosque docuit extrahere cifras. Anno humanati verbi 1519 die 2 Octobris, suæ vero ætatis 27 mense 5 die 11 Sol ad quadratum Saturni fuit in culpa vt effoderetur ei oculus dexter, quippe dum vellet ingredi ecclesiam, vltimus nodus chordæ quam (pulsata cãpana) clericulus liberã dimiserat, effodit ei oculũ dextrũ. Quod denuntiabat Sol cum Marte partiliter alligatus in nono cœli templo. Sed sibi ipsi fabricauit ex lapide precioso illi oculo euulso consimilem, quẽ p auci discernebant illum fuisse adulterinum. Dicunt pleriq; ipsum in vrbem teriisse 1532 labente.

Alexander filius olim Comitis Troili de Rubeis mutus.



A lexander filius Comitis Troili natus fuit in oppido Sancti Secundi mutus, vti colligitur ex Mercurio cum Sole & Venere non procul a Pleiadibus, quin etiam ex Marte, Mercurium, Solem, & Venerem radiatione tetragona commaculante, Stilbon & Sol in finibus Falciferi itidem affirmare videbantur.

ERRATA IN HOC LIBELLO CASTIGANTVR SIC.

Pag.	Fa.	Vir.	Vbi	Dicat
3	1	27	ſupputate	ſupputare.
5	1	6	ecclefiæ	eccleſiæ
6	2	1	ecclefiam	eccleſiam.
16	2	in figura	1530	1430.
20	2	21	ecclefiæ	eccleſiæ.
35	1	3	Maſicus	Muſicus.
36	2	1	a fluentiſsimis	affluentiſsimis.
38	2	3	Maieſtatæ	Maieſtati.
39	1	in figura	1550	1500.
39	1	3	Bononiæ	Bononiæ creatus.
62	1	2	hegona	hexagona.
74	2	4	79	73.
103	1	7	Tadeo filio	Tadeo fratris filio.

Venetijs Apud Bartholomæum Cæſanum.
Anno M D L I I.